Franssen, Georgius

Quaestionis de scholiorum Euripideorum in poetae verbis restituendis auctoritate et usu specimen

PA
3978
F73

# Quaestionis

de

# scholiorum Euripideorum in poetae verbis restituendis auctoritate et usu

## specimen.

---

**Dissertatio inauguralis**

quam

Amplissimi Philosophorum Ordinis

auctoritate atque consensu

ad summos in philosophia honores

rite capessendos

in

academia Georgia Augusta

scripsit

**Georgius Franssen.**

---

Gottingae.

Typis expressit officina Hoferiana.

1872.

TA
3978
F73
733657

**G. Schweckendieckio**

praeceptori dilectissimo

d. d. d.

auctor.

LIBRARY
733657
UNIVERSITY OF TORONTO

Scholia Euripidea in arte critica exercenda haud parvi esse momenti etsi homines docti jam diu cognitum atque perspectum habuerunt, tamen, qua erant usque ad recentissimam fere memoriam conditione, summis eorum usus impeditus erat difficultatibus. Editio enim Arseniana, emissa Venetiis a. 1534, quibusnam e codicibus esset petita parum constabat [1]). Matthiaeus autem, qui novam instituit scholiorum editionem Lipsiae a. 1817 et 1818, multis quidem sed recentissimis libris manu scriptis usus erat [2]). Sola optima illa in Troades et Rhesum scholia, quae e codice Vatic. 909 primus Hieronymus Amatius a. 1821 publici juris fecerat in Euripidis editione Glasgoviensi, tum ea quae e scholl. codd. Marc. 471 Vat. 909. Neap. Borb. 165 II. F. 9 electa Cobetus foras dederat in appendice ad Geelii Phoenissarum editionem a. 1846, talia erant, quae satis certa ratione in poetae verbis emendandis possent usurpari. Tandem copiae, quae nimis diu latuerant in bonis illis codicibus (praeter Marc. et Vat. maxime Paris. 2713), in lucem prolatae sunt editione Dindorfiana, Oxoniae facta a. 1863. Quae quamquam exspectationi, scholiis ab Amatio et Cobeto editis commotae,

1) Cf. Dind. Scholl. gr. in Eurip. Praef. p. XXI.
2) Dind. l. a. p. XXV.

non omni ex parte respondit [1]), cum neque quae nova continebat tot tamque bona essent quam speraverant homines docti, neque Byzantinorum ineptiae secretae essent a copiis doctrinae vere Alexandrinae [2]), tamen non potest negari, Dindorfium de Euripide optime meruisse, utpote qui haud pauca bona scholia in medium protulerit, multa ex meliorum codicum auctoritate emendaverit, denique codicum signis additis significaverit, unde quaeque sint petita. Quae cum ita sint, jam multo certius atque constantius antiquis illis interpretationibus in re critica licet uti. Nihilominus etiam nunc cavendum est, ne nimiam eis tribuamus auctoritatem, sed quam cautissime agendum, ne vel corruptas vel parum accuratas vel prorsus falsas interpretationes secuti poetae verba vitiemus potius quam emendemus.

Qua in re cum haud raro homines doctos errasse viderem, operae me pretium esse facturum putavi, si omnibus locis, quibus scholia in Euripidis verbis restituendis nobis emolumento aut revera sunt aut esse facile videntur, congestis singulisque examinatis efficere conarer, ut certius atque accuratius de eorum in re critica usu posset judicari. Omnes autem fabulas, quarum antiqui commentarii aetatem tulerunt, una cum his ipsis hoc modo pervestigare quia nunc non licuit, Medeam et Andromacham elegi, de ceteris postea acturus, ubi otium nactus ero.

Atque instituam hanc quaestionem ita, ut primum componam atque perscruter ea artis criticae subsidia, quae e scholiorum in Medeam et Andromacham interpretationibus petita sint vel peti possint, deinde examinem ea, quae nobis suppeditent lemmata scholiis prae-

1) Cf. Schenkl. Philol. vol. 20. p. 500.
2) Cf. Dind. Praef. p. XXVIII. sq.

scripta, denique quaeram, quid sit tribuendum variis lectionibus in scholiis aperte commemoratis [1]).

In numerandis Euripidis versibus Kirchhoffium sequar, in scholiis addam, ubi opus erit, numeros Dindorfianos. Codicum signis utar Kirchhoffianis, quae in scholia quoque transferam.

Sunt autem haec:

| | Dind. | Kirchh. |
|---|---|---|
| Marc. 471 | M | A |
| Vat. 909 | A | B |
| Paris 2713 | B | a. |

Editionem Arsenianam notabo Dindorfium secutus litera I. —

1) Eas dissertationis Amplissimo Philosophorum Ordini traditae partes, quae sunt de ratione qua compositum sit corpus scholiorum quod continetur maxime codd. Marc. 471. Vat. 909. Paris 2713 et de histrionum interpolationibus, quarum in scholiis in Med. et Andr. fit mentio, typis nunc von curavi exprimendas.

Priusquam ad singulas scholiorum varias lectiones examinandas transeamus, pauca praemittenda sunt, quae, si aequos nos praestare judices studemus in scholiorum auctoritate ponderanda, non licet negligere.

Atque primum quidem consideranda sunt, quae disputat Kirchh. Praef. Med. Berol. 1852. p. 42. Is enim auctorem incertum [1]) arbitratur scholia ad poetae verba ab ipso compluribus libris collatis constituta ita accommodavisse, ut quae in eis inveniantur variae lectiones, eas omnes certum sit fuisse in autographo; quare non posse fieri, ut scholiis usi ultra autographi fidem ascendamus.

Quae sententia nullo modo potest probari. Nam fac, illum revera hoc sibi proposuisse propositumque summa cum diligentia peregisse, tamen non dubitabis, quin haec ei res parum prospere cesserit, nisi forte putas, eum fuisse hominem acutissimo praeditum ingenio, quem nulla omnino fugerit scholiorum varia lectio, id

---

1) Sic liceat nominare eum, qui et scholiorum corpus, cujus reliquiae ad nostram aetatem pervenerunt, composuit et compluribus libris collatis operam dedit poetae verbis restituendis. Cf. subscriptiones, quae exstant in fine Medeae fabulae: Τέλος μηδείας εὐριπίδου. πρὸς διάφορα ἀντίγραφα διονυσίου ὁλοσχερὲς καί τινα τῶν διδύμου, et in fine Orestis: πρὸς διάφορα ἀντίγραφα. παραγέγραπται ἐκ τοῦ διονυσίου ὑπομνήματος ὁλοσχερῶς καὶ τῶν μικτῶν. Cf. Kirchh. Praef. Med. p. 3. Barthold. de scholl. veterum in Eurip. fontt. Bonnae 1864. p. 31 sqq.

quod nostrae aetatis hominibus vel sagacissimis haud raro accidisse constat [1]). Nec profecto ratio, qua scholia composita sunt, tale ingenium redolet. Valet fortasse Kirchhoffii sententia de lemmatis, de interpretationibus secus judicandum est.

Deinde liceat paucis illustrare ea, quae exponit Schenkelius Philol. 20. p. 306. Etenim vituperat Kirchhoffium, quod nimis constanter optimorum codicum auctoritatem sequatur, negligat deteriores, etiamsi quae in eis legantur, melioris sint notae. Eadem disputat Nauckius, Stud. Eurip.[2]) II. p. 127, qui codicum alterius classis imprimis in Troadibus magnam esse auctoritatem exemplis allatis demonstrat (cf. II. p. 63.).

Quae sine dubio vera sunt. At cum constet, libros qui sunt *ABC* derivatos esse e codice tertio decimo seculo antiquiore, sed illo a Byzantino quodam grammatico multis locis interpolato, ambiguum est, si qua eorum lectio habet quo commendetur, utrum conjecturae debeatur, an ipsa recepta Euripidis verba restituantur. Quamquam vix credibile est, a Byzantino illo multa profecta esse, quae pro Euripideis possint haberi. Summam autem eis conciliari auctoritatem apertum est eis locis, quibus scholia in optimis libris ascripta respiciant ea, quae nunc solis in codd. *ABC* vel in uno ex eis leguntur.

Cujus consensus exempla e Med. et Andr. collecta afferam haec:

Med. 106: *C ἀνάξει*, schol. a: *ἐὰν δὲ γράφηται ἀνάξει*, quod licet non prorsus rectum sit, tamen ad verum proxime accedit (v. infra p. 17.).

---

1) Cf. Schneidew. Gött. gel. Anz. 1853. I. p. 724. Nauck. Neue Jahrb. f. Phil. u. Päd. 1854. 69. p. 622. V. infra p. 40.

2) Quae edita sunt in Mémoires de l'Académie de St. Pétersbourg, ser. VII. tom. I. n. 12; tom. V. n. 6.

Med. 834: schol. Ba 846 et codd. *BC* *ἢ πόλις ἠφίλων*, ceteri *ἢ φίλων ἢ πόλις*. (Sed vide infra p. 15.),

Med. 979: solus cod. *C* *ὄλεθρον* (sed falso *βιοτάν*), ceteri *ὀλέθριον*. E schol. 989 apparet, scribendum esse *ὄλεθρον βιοτᾷ*.

De Med. v. 1039 v. infra p. 32.

Med. 1041: solus *B* *θύμασιν*, ceteri *δώμασιν*; schol. Ba 1053 *θύμασιν*.

Med. 1205: solus cod. *C* *ἀντελάζυτ'*, idem legitur in lemmate schol. 1216 Ba, ceteri: *ἀντελάζετ'*.

Med. 1210: *BC* cum Christ. pat. v. 1112 *δακρύοισι*, idem schol. 1221 Ba, ceteri *δακρύουσι*.

Andr. 359: codd. E [*BC*] *ἀπαιδίαν*, idem schol. Aa. Ceteri *ἀβουλίαν*. Kirchh. conjicit *ἀμβλώσεως*. Illud *ἀπαιδίαν* veram esse scripturam recte censet Schenkl. l. a.

Andr. 352: solus cod. [*C*] *ἀνάγκη*, idem schol. Aa.

Andr. 439: A *ὅταν τόδ' ἢ τάδ' οἴσομεν*. BCEabcd *ὅταν τόδ' ἦ τάδ' οἴσομεν*. [*BC*]: *ὅταν τάδ' ἦ τότ' οἴσομεν*. E verbis scholii A: *ὅταν δοκῇ . . . . ὑπομενοῦμεν τότε* apparet, codd. *BC* lectionem esse servandam. Minime opus est conjecturis Kirchhoffii *ὅταν μόλῃ, ὅταν παρῇ*; id quod ipsum Kirchh. postea intellexisse patet ex ed. a. 1867.

Andr. 717: A[*BC*] *πρεσβυτῶν γένος*, idem schol. 727.

Andr. 837: Forma dorica *στέγᾳ* servata est solis in codd. [*BC*] et in lemmate scholii 858. a.

Quae exempla mihi videntur esse apta quibus major quaedam fides afferatur codicibus illis, idque etiam eis locis, quibus eorum variae lectiones scholiorum testimoniis non confirmantur, sed ubi agitur sola de utriusque generis codicum auctoritate. Si prioris generis codicum lectiones probari non possunt, in deteriori-

bus quae exstant non capiunt reprehensiones, hae sunt recipiendae.

Denique paucis disseram de variis lectionibus, quas veteres interpretes praebent in Euripidis verbis afferendis. Atque hac quidem in re eorum auctoritatem haud ita magnam esse, non negabis, si accuratius ipsas illas varias lectiones consideraveris. Ita enim omnes fere comparatae sunt, ut statim appareat, memoriter poetae verba allata esse [1]). Quae cum ita sint, consentaneum est, plerumque particulas commutatas esse aut prorsus omissas, ut:

Alc. v. 431: *οὐ γάρ τι πρῶτος οὐδὲ λοίσθιος βροτῶν γυναικὸς ἐσθλῆς ἥμπλακες.* Schol. Hippol. 834: *οὐ γάρ τοι πρῶτος κτλ.* Schol. Hippol. 892: *οὐ γὰρ πρῶτος κτλ.*

Hec. 422: *ὦ στέρνα μαστοί θ', οἵ μ' ἐθρέψαθ' ἡδέως.* Schol. Hec. 144: *ὦ στέρνα μαστοί μ' ἐθρέψαθ' ἡδέως.*

Orest. 304: *καὶ μὴ τὸ ταρβοῦν κἀκφοβοῦν σ' ἐκ δεμνίων ἄγαν ἀποδέχου.* In schol. Phoen. 361 omissum est *ἄγαν.*

Troadd. 369: *τοσόνδε γ' ἔξω στήσομαι βακχευμάτων.* Schol. Orest. 268: *τοσόνδε δ' ἐκτὸς κτλ.*

Ad idem redit, quod verborum compositionem, qualis est apud poetam, neglectam videmus.

Cf. schol. Med. 216, ubi affertur Hippol. v. 92 ita quidem, ut pro infinitivo *μισεῖν*, qui pendet e verbis *καθέστηκεν νόμος*, positum sit verbum finitum *μισεῖ*.

Schol. Orest. 1082, ubi affertur pars v. Phoen. 143, pro dativo *ὁμιλίᾳ χθονὸς* legitur *ὁμιλία* (*ὁμιλίαι, ὁμιλίας*) *χθονός*.

---

1) Cf. G. Wolff. De Soph. scholl. Laur. p. 240 sqq. Sauppii Epist. crit. p. 51 sqq.

Similia sunt cetera vitia, quibus poetae verba in scholiis allata affecta esse videmus:

Schol. Hecub. 177, ubi affertur Hecub. v. 21, pro *ἀπόλλυται* positum est *ἀπώλετο*. Schol. Orest. 1662 *τὸ λοιπόν* pro *τὰ λοιπά* quod legitur Phoen. 1216, schol. Phoen. 1153 *ἐλθὼν δ' ἐπ' Ἰνάχου ῥοαῖς κτλ.* pro *ῥοάς* (Suppl. 892), schol. Hecub. 1156 *στοχίσμασιν* pro *στοχάσμασιν* (Bacch. 1194).

Quae cum ita sint, ex his variis lectionibus non mutanda esse apparet verba in codicibus tradita, nisi forte aliae accedant causae. Nec probanda Hartungi sententia[1]), qui nisus auctoritate verborum in schol. Med. 97 allatorum pro verbis *ὑφεῖσ' ἀλγηδόσι* quae leguntur Med. v. 24 scribi voluit *ἀφεῖς ἀλγηδόνι*, praesertim cum nunc constet e cod. a, in schol. Med. 97 non *ἀφεῖσ'* legi sed *ὑφεῖσ'*.

Neque multum tribuendum esset schol. Phoen. 1. in restituendo versu Med. 58, nisi hoc loco alia accederent. Versus est hic:

*ὥσθ' ἵμερός μ' ὑπῆλθε γῆ τε κοὐρανῷ*
*λέξαι μολούσῃ δεῦρο Μηδείας τύχας.*

*Μηδείας* legitur in B (sed *δεσποίνης* ab cad. m. suprascr.) [E] *BC*; *δεσποίνης* Ced et schol. Phoen. 1.

Non negligendum est, schol. mirum illum dativum *μολούσῃ* servasse, unde conjicias paulo accuratius hoc loco poetae verba descripta esse. Contra scholii lectionem facere videntur verba Ennii apud Cic. Tusc. III. 26. 63:

„Cupido cepit miseram nunc me proloqui Caelo atque terrae Medeai miserias.“ Sed valde dubito, num ex his verbis certo possit concludi, Ennium legisse illud *Μηδείας*, atque mihi quidem omnino satis dubium

1) Zeitschr. für Alterthumswissenschaft. 1844, p. 251.

videtur, num fragmentis illis liceat uti ad graecorum poetarum verba restituenda.

Manifestum est, alteram lectionum illarum natam esse ex verbo margini ascripto, quare ea Euripidea putanda est, quae facilius talis explicationis ansam dare potuit. Quae mihi reputanti persuasum est, ab Euripide scriptum esse *δεσποίνης*, quod receperunt Weil. et Kirchhoff. in ed. a. 1867.

His praemissis jam ipsas scholiorum varias lectiones accuratius examinemus.

## 1. De variis lectionibus quae in antiquis explicationibus latent.

Ad quaenam verba singulae interpretationes referendae sint, conjectura nos assequi necesse est. Qua in re nisi summam adhibeas cautionem, periculum est, ne tantum absit, ut poetae verba emendes, ut depraves.

Quod cum ita sit, operam me non esse perditurum puto, si paucis exponam, quae mihi in hac quaestione maxime esse observanda videantur.

Atque primum animum intendas necesse est ad rationem, qua singulis locis poetae verba explicentur, utrum interpres singula minus respiciens totius loci adumbret sententiam an artius accuratiusque sequatur verba explicata. Quod cum neglexisset, in errorem incidit Elmsleius, qui Med. 86. pro *τοῦ πέλας* scribendum esse ratus *τῶν πέλας* conjecturae suae argumentum petivit ex verbis scholii, quae sunt *οἷον ἄρτι ἔγνωκας ὅτι ἑαυτοὺς μᾶλλον φιλοῦσιν ἢ τοὺς πέλας*. Fugit hominem doctissimum, ab interprete pluralem numerum (*τοὺς πέλας*) positum esse, quia antea pro singulari

(*πᾶς τις φιλεῖ*) usus erat plurali numero (*φιλοῦσιν*). Etenim schol. 87, ubi in interpretatione illud *πᾶς* servatum est, invenimus singularem numerum *τοῦ πέλας*: *ὁ δὲ νοῦς, πᾶς ἑαυτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ* [1]).

Deinde cave ne quid tribuas particulis, quae saepissime inseruntur interpretationibus, quamvis prope ad ipsa poetae verba accedant. Qua de re monere non esse supervacaneum, apparet ex errore Porsoni [2]), qui Med. 139 pro *φροῦδα τάδ' ἤδη* scripsit *φροῦδα γὰρ ἤδη τάδ'*, quam emendationem confirmari putavit eo quod in scholio ad hunc locum post *φροῦδα* addita est particula *γάρ*. Neque vero dubitari potest, quin particula illa respiciat ea quae in ipso scholio proxime antecedunt: *ἀπὸ δὲ ἀρσενικοῦ εἰς οὐδέτερον μεταβαίνει.* Similia collegit Elmsleius ad hunc locum. Eodem fere modo comparatum est schol. Andr. 24 [3]), ubi haec leguntur: *ἄρσεν' ἐντίκτω κόρον: ἰδίως ἕνα φησὶ παῖδα γενέσθαι τῷ Νεοπτολέμῳ ἄλλων τρεῖς λεγόντων.* Quo loco quod Euripides significavit singulari numero *κόρον*, id addito verbo *ἕνα* clarius atque distinctius indicandum fuit interpreti, qui poetam ab aliis dissentire commemorat verbis *ἄλλων τρεῖς λεγόντων.* Illud *ἕνα* igitur est interpretis, non poetae, qui cur hanc notionem efferre voluerit, nulla potest causa excogitari, (cf. G. Hermann. ad hunc locum) aptissime autem effertur v. 47. Quare quicquid de verbo quod est *ἐντίκτω* statuendum est, certum habeo, falsam esse sententiam Lentingii, qui e scholii verbis *ἕνα φησὶ παῖδα* conclusit Euripidem scripsisse *ἄρσεν' ἕνα τίκτω κόρον*, quam conjecturam Nauck. l. a. p. 87 non debebat probare.

---

1) V. infra p. 36 sq.

2) Cujus sententiam probat Hartungus l. a. p. 251.

3) Cf. quae infra disputabimus p. 35 de Med. v. 1098.

Tum cavendum est ne in errorem inducaris verborum collocatione in scholiis mutata. Qua in re haud ita diligenter versatos esse veteres interpretes apparet e schol. Andr. 203, ubi verbis *καὶ δι' ἐμαυτὴν καὶ διὰ τὸν Ἕκτορα* ea explicantur quae dicit Andromacha: *φιλοῦσι γάρ μ' Ἕλληνες Ἕκτορός τ' ἄπο αὐτή τ' ἀμαυρὰ κοὐ τύραννος ἦν Φρυγῶν.* E scholio igitur ad Andr. v. 163: *εἰ δέ τις θεῶν ἢ ἀνθρώπων σῶσαι θέλει σε κτλ.* non licet colligere, interpretem ea legisse quae nunc exstant in cod. *B*: *ἦν δ' οὖν θεῶν τίς σ' ἢ βροτῶν σῶσαι θέλῃ.* His locis cum negligentia mutatus sit ordo verborum, aliis idem factum est ad poetae verba explicanda, ut schol. Med. 1309 (1298 K), ubi hac interpretandi ratione Barnesius et Musgravius in eam adducti sunt sententiam, ut lectionis varietatem indicari putarent. Cf. schol. Andr. 370.

Porro non supervacaneum videtur commemorare, veteres interpretes interdum eandem praepositionem, qua poeta usus est, usurpare, sed cum alio conjungere casu, ut schol. Med. 1065, ubi verba *ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχει τὸν στέφανον* spectant ad poetae verba (v. 1053) *καὶ δὴ 'πὶ κρατὶ στέφανος.* Andr. 777 legitur in codicibus *ἐπ' Ἀργῴου δορὸς κτλ.*, contra in scholio (793) invenimus: *ἐπὶ τῷ τῆς Ἀργοῦς* (*δόρατι*?). Quae cum ita sint, temere collegisse patet Hartungum e schol. Med. 211: *ἀντὶ τοῦ δι' ἁλὸς ἁλμυρᾶς, κτλ.*, a poeta non *δι' ἅλα* sed *δι' ἁλός* scriptum esse, praesertim cum praepositio *διά* hac significatione a solis poetis cum accusativo conjungatur, in oratione soluta poni soleat genitivus, quo utitur interpres.

Denique non omittenda est veterum interpretum in temporum usu negligentia, cujus exempla afferam haec:

Schol. Andr. 828: *καταικιῇ: ὑβρίζεις, ἀφανίζεις.* schol. Med. 585. *κτενεῖ: οἷον εἷς λόγος σε τιμωρεῖται.*

schol. Med. 917. *τὰ πρῶτ' ἔσεσθαι: ἀντὶ τοῦ τὰ πρωτεῖα ἀπενέγκασθαι καὶ βασιλεύειν.* schol. Med. 1034. *περιστελεῖν: κρύπτειν, ἐνταφιάζειν.* schol. Med. 1130: *ἠχισμένη: μαστιζομένη.*

Quae praefatus jam ad singulos Medeae et Andromachae locos, quibus in re critica factitanda nobis veterum interpretum explicationes emolumento aut sunt aut videntur esse, examinandos transeam.

## I. Medea.

Med. 107:

*δῆλον δ' ἀρχῆς ἐξαιρόμενον*
*νέφος οἰμωγῆς ὡς τάχ' ἀνάψει*
*μείζονι θυμῷ.*

Praepositionem *ἐξ*, quae in plerisque codicibus ante verbum quod est *ἀρχῆς* inserta est, apparet interpretationis causa ascriptam fuisse. G. Hermannus, Adnn. ad Med. ab Elmsl. editam p. 346 dici hoc loco debuisse exponit, ex initio quod fecisset Medea cognosci, multo eam graviora nubila esse concitaturam. Quae quidem sententia quomodo in verbis illis inesse possit, non intelligitur, nam rationem Hermanni, qui conjungit verba *δῆλον δ' ἀρχῆς*, vix probaveris. Neque melius res cessit Bauero [1]), qui postremus locum sane difficillinum expedire conatus scribendum esse putat: *ἀρχῆς ἐξ* ea sententia, ut idem sit atque *ἐξ ὧν ἄρχεται.* Quod si concesseris fatendum erit, nimis ambigue Euripidem locutum esse. Sed missas faciamus diversas hominum doctorum aut interpretandi aut emendandi rationes,

1) Wolfg. Bauer „Zur Medea des Euripides. Kritisches und Exegetisches.“ Progr. des Wilhelmsgymnasiums zu München. 1871.

utpote quae omnes satis incertae sint, cum scholiorum ope talem lectionem reperiamus, quae mea quidem sententia nullum omnino dubitationi locum relinquat.

Atque primum quidem suspicionem movet verbum quod est *ἀνάψει*. Comparatum est enim enunciati initium ita, ut subjectum esse putaveris non Medea sed *νέφος* (cf. G. Herm. l. a.). Quod si ita est, *ἀνάψει* intransitive dictum sit necesse est, id quod fieri posse optimo jure negabis, nisi exemplis allatis talis hujus verbi usus comprobatus erit. Sed fac, de Medea dici illud *ἀνάπτειν*, miraberis rationem dicendi quae est *νέφος οἰμωγῆς ἀνάπτειν*, quacum qui conferri possit, vix ullum locum invenies.

Quare non negligendum illud *ἀνάξει*, quod legitur et in cod. *C* et in scholio [1]) (*ἐὰν δὲ γράφηται ἀνάξει*). Quamquam ex eis, quae supra disputavimus, ne hoc quidem probari potest, sed recepta Elmsleji mutatione sane facillima scribendum est *ἀνᾴξει*, quod egregie respondet verbo *ἐξαιρόμενον*. Conjicias igitur, cum ad *ἀνᾴξει* addatur *μείζονι θυμῷ*, conjunctam fuisse cum verbo *ἐξαιρόμενον* similem notionem. Nec profecto haec latet. Nam ex eis quae leguntur in scholio *οἷον ἐπίπολὺ ἀνάξει τὰ τῆς ὀργῆς* et *αὐξανομένη ἐπίπολὺ ἡ ὀργὴ πάντως δεινόν τι ἐργάσεται*, non sine veritatis specie colligas, interpretem legisse *ὀργῆς* pro *ἀρχῆς*, quae jam Schneidewini [2]) fuit opinio.

Scribendum est igitur:

*δῆλον δ' ὀργῆς ἐξαιρόμενον*
*νέφος οἰμωγῆς ὡς τάχ' ἀνᾴξει*
*μείζονι θυμῷ.* —

Quorum verborum sententia est haec: Patet quasi

1 Cf. quae supra exposuimus p. 9 sq.
2) L. a. p. 728.

nubem lamentationis ex ira ortam mox majore animi ardore excitatam sublime latum iri.

Mihi quidem haec aptissima videntur. Nam tantum abest, ut necesse sit, nutricem multo graviora nubila concitatum iri concludere ex ipso lamentationis initio, ut colligat ex Medeae natura moribusque, quos cum se cognitos habere jam antea dixisset (v. 37 sqq.), minime opus erat, hoc loco causam timoris indicare. Nec non in eis quae antecedunt, commemoratum est, non solo maerore afflictam esse Medeam, sed ira inflammatam. Cf. v. 100: *μήτηρ κινεῖ κραδίαν, κινεῖ δὲ χόλον.*

De v. 139 vide quae supra exposuimus p. 14.

V. 159 sq.

*Ζεύς σοι τάδε συνδικήσει. μὴ λίαν*
*τάκου δυρομένα σὸν εὐνέταν.*

Schol. 156: *σὺν δίκῃ δὲ ἀντὶ τοῦ σὺν τῷ δικαίῳ ἐπεξελεύσεται.*

Quibus scholii verbis Hartungus commotus est, ut scribendum esse putaret *Ζεὺς σύν Δίκᾳ σοι ἔπεισιν.* Cujus conjecturae auctoritas labefactatur primum eo, quod, si eam receperimus, etiam antistrophae versus 184, in quo nihil est quod reprehendas, erit mutandus. Tum ipsa scholii fides tenuior est, quam qua freti poetae verba mutemus. Orta est enim mihi statim ea suspicio, ut verbis *ἀντὶ τοῦ σὺν τῷ δικαίῳ ἐπεξελεύσεται* ipsum illud *συνδικήσει* explicari censerem; neque aliter videtur judicasse Elmslejus, qui scholii verba male scripta neque recte explicata esse dicit. Quae suspicio si vera est, pro *σὺν δίκῃ* scribendum erit *συνδικήσει.* — Jam cum constet, scholia multo gravioribus affecta esse vitiis quam ipsa poetae verba, summo jure eis quicquam esse tribuendum negaveris eis locis, quibus tam facili mutatione facta ad verba in codicibus servata

possint accommodari. Neque offendendnm est in eo, quod verbi *συνδικήσει* explicatio parum accurata est, quoniam talia saepius commiserunt antiqui interpretes, ut apparet e scholio, quod proxime antecedit, ubi explicatis verbis quae sunt *μηδὲν τόδε λίσσου* pergitur: *εἰ δὲ ὁ σὸς ἀνὴρ ἠθέτησε τοὺς ὅρκους, ἐκείνῳ λίσσου τοῦτο γενέσθαι, δηλονότι τὸ κερανυωθῆναι καὶ ἀποθανεῖν.* Videtur ut haec adderet interpres adductus esse verbis *εἰ δὲ σὸς πόσις καινὰ λέχη σεβίζει* cursim inspectis, neglectis eis quae sequuntur, *κείνῳ τόδε μὴ χαράσσου.* Nam minime certum esse putaverim, eum particulam negantem, quam invenit auctor scholii 156, non legisse, quae est Hartungi opinio.

At cum possit certe de hac re dubitari, manifestum est, non esse cogitandum de varia lectione schol. 599, ubi quae dicit Medea:

*μή μοι γένοιτο λυπρὸς εὐδαίμων βίος,*
*μηδ' ὄλβος ὅστις τὴν ἐμὴν κνίζοι φρένα* —

illustrantur hisce verbis: *οὐκ ἄν, φησὶν, εὐξαίμην τοιαύτην μοι εὐδαιμονίαν γενέσθαι δι' ἧς ἄν ἕτεροι λυπηθεῖεν, καθάπερ καὶ ὁ σός νῦν ὄλβος τὴν ἐμὴν λυπεῖ φρένα.* Quae deinde sequitur interpretatio recta est: falsae quam attulimus auctorem errasse tam apertum est, ut nemo hoc quidem loco de varia lectione cogitaverit.

Sed ut redeamus illuc unde defleximus, probanda est conjectura Nauckii, qui pro *Ζεύς σοι τόδε συνδικήσει* scribi vult: *Ζεύς σοι σύνδικος ἔσται.* Cf. Schenkl. Nov. Annal. philol. et paedag. vol. 85 p. 826.

V. 305 sq.:

*σοφὴ γὰρ οὖσα τοῖς μέν εἰμ' ἐπίφθονος*
*τοῖς δ' αὖ προσάντης· εἰμὶ δ'οὐκ ἄγαν σοφή.*

Schol. 305. *προσάντης*: *ἐναντία εἰμὶ τοῖς ἀπαιδεύ-*

*τοις οὐδ' ἄγαν σοφή.* (pro *οὐδ'* quod legitur in cod. a. in ed. Arsen. (I) invenitur *καὶ οὐκ*).

Jam Musgravius suspicatus est, hujus explicationis auctorem legisse *τοῖς δ' αὖ προσάντης εἰμὶ κοὐκ ἄγαν σοφή*, quam scripturam recepit Brunckius. Eandem sententiam exponit Hartungus l. a. p. 252. Neque mihi dubium videtur esse, quin ita scripserit Euripides. Apparet enim e v. 304, Medeam jam ea, quae antea dixerit in se esse translaturam; atqui apertum est versum 305 respondere versibus 303. 304; conjicias igitur eandem rationem intercedere inter v. 307 et vv. 300. 301 [1]). Quam rationem, ut verba in codicibus leguntur, desideramus, cum, quod v. 301 dictum est ex sententia eorum qui vocantur *σκαιοί*, id v. 307 ipsa de se profiteatur Medea. Quae difficultas quia tollitur scholii lectione recepta, cur hanc rejiciant recentiores editores, non intelligo. Noli enim offendere in eo, quod verbum *εἰμί* in eodem enuntiato brevi interjecto spatio repetitur, quoniam talem verborum sine ullo pondere pronuntiatorum repetitionem Euripides non solet evitare [2]). Cf. Hecub. 848. *οὐκ ἔστι θνητῶν ὅστις ἔστ' ἐλεύθερος, ἢ χρημάτων γὰρ δοῦλός ἐστιν ἢ τύχης.*

V. 421 sq.

*Μοῦσαι δὲ παλαιγενέων λήξουσ' ἀοιδᾶν*
*τὰν ἐμὰν ὑμνεῦσαι ἀπιστοσύναν.*

*C ἀοιδῶν*, ceteri *ἀοιδᾶν*. Kirchh. scholiorum testimonio confirmari putat *ἀοιδᾶν*. Hartungus antiquum interpretem *ἀοιδαῖς* legisse arbitratur. Uterque vereor ut recte scholium explicaverit.

---

1) Versum 306 spurium esse jam Piersonus vidit Verisim. p. 58.

2) Plura hujusmodi exempla collegit Sybel, De repetit. verb. in fab. Eurip. p. 17.

Duae enim ad versus de quibus agimus exstant interpretationes. Priorem quidem spectare ad genit. plur. verbi *ἀοιδή* apparet e verbis quae sunt *λήξουσιν τῶν ἀοιδῶν τῶν καθ' ἡμῶν*, altera autem cum referenda sit ad gen. plur. verbi *ἀοιδός*, interpretem legisse necesse est *ἀοιδῶν*. Nam si *ἀοιδᾶν* reperisset, hoc verbo cum cognosset significari carmina, non poterat Musas poemata intelligere. Scholiorum igitur auctoritas hoc loco incerta est.

V. 424:

*ὤπασε θέσπιν ἀοιδάν*
*Φοῖβος . . . .*

Hartungus propius accedere ratus verbum *ὤπασε* ad orationem pedestrem, *ἔπνευσε*, quod solo in codice a legitur, praeferendum esse censet. Quae causa mutandi refellatur non est necesse, (cf. Hom. Od. VIII. 498), praesertim cum scholia, quibus plerumque aequo majorem auctoritatem Hart. tribuere solet, verbum *ὤπασε* aperte testentur.

V. 425 sqq.:

*ἐπεὶ ἀντ —*
*ἀχησ' ἄν ὕμνον*
*ἀρσένων γέννᾳ. —*
*ὕμνον.*

Libri *ἀντάχησαν*. *B ὕμνοις*, ceteri *ὕμνον*.

E tribus quae in scholiis servatae sunt horum verborum explicationibus apparet, olim scriptum fuisse *ὕμνον* et *ὕμνοι* atque haesitasse interpretes, utrum *ἀντάχησ' ἄν* scribendum esset an *ἀντάχησαν*. Copiosius de hoc loco disseruit Kirchh. Med. p. 96, qui num recte varias illas lectiones in autographo exstitisse putet, ex eis quae supra[1]) disputavimus dubium esse apparet.

1) P. 8 sq.

V. 526 sq.:

*σοὶ δ' ἔστι μὲν νοῦς λεπτός, ἀλλ' ἐπίφθονος*
*λόγος διελθεῖν, ὡς Ἔρως σ' ἠνάγκασε κτλ.*

Schol. 529: *ἄλλως. ἐμὸς λόγος, φησὶ, λεπτὸς μὲν, ἐπίφθονος δὲ, τουτέστι φθονηθησόμενος μὲν, δυνάμενος δὲ διαδῦναι παντὸς τοῦ ἰσχνοῦ.* Quam interpretationem secutus Hartungus l. a. p. 253 conjicit scriptum fuisse:

*ὅ δ' ἔστι μέν μοι λεπτὸς, ἀλλ' ἐπίφθονος κτλ.*

quae verba Weilius recepit.

Nec potest negari, explicationem illam, nisi falsam eam esse putaveris, ad haec fere verba esse referendam. Neque tamen sequitur, haec esse Euripidea, cum verborum, quae in codicibus servata sunt, multo aptior sit sententia. Nam si revera ea, quae ei tribuit Hart, Jason diceret, haud ita callide rem instituerit. Ea enim quae affert ad Medeae erga ipsum merita elevanda tantum abest, ut argute excogitata esse necesse sit, ut multo majorem habeant auctoritatem, si perfacilia sint cognitu. Contra optima verborum in codicibus traditorum est sententia, quam homines docti mihi non satis perspexisse videntur. Est autem haec fere: Tu quidem, quae est sagacitas tua, facile intelligis, qua re commota me servaveris (vim dico invictam amoris), sed taedet te hoc confiteri.

Verba igitur quae sunt *ἐπίφθονος λόγος διελθεῖν* spectant ad ea, quae Medea consilio non commemoravit, falso referuntur a Klotzio et Bauero (l. a. p. 15) ad Jasonem. Ad quam mea quidem sententia veram explicationem ducimur eis quae antecedunt *ἐπειδὴ καὶ λίαν πυργοῖς χάριν.* Quae ipsa nimia beneficiorum aestimatio posita est in eo, quod Medea se sponte Jasonem e periculis eripuisse simulaverit, dissimulaverit veram beneficiorum causam, quippe quam exponere ei sit *λόγος ἐπίφθονος διελθεῖν.* Eadem jam fuit sententia

ejus interpretis, cujus est interpretatio in scholiis quarta allata, nec non eandem probavit Elmslejus. —

Pergit Jason v. 528:

*πόνων ἀφύκτων τοὐμὸν ἐκσῶσαι δέμας.* —

*πόνων ἀφύκτων*

B *τόξοις ἀφύκτοις* E[a]b[cd] *τόξοις ἀφύκτοις C τόφις ἀφύκτοις B πόνων ἀφύκτων*, utrumque videtur esse in *C*. —

Schol.: *ἐὰν γάρ τις ἀκριβῶς ἐξετάσῃ, ὁ Ἔρως σ' ἠνάγκασε τόξοις ἀφύκτοις ἐκσῶσαι δέμας. οἷον οὐκ εἰς χάριν τὴν ἐμὴν, ἀλλὰ κατὰ ἀνάγκην ταῦτα ἔπραξας καὶ τῶν ἀφύκτων πόνων ἐξέσωσας τοὐμὸν σῶμα.*

Explicatur igitur utraque lectio nullo facto varietatis indicio. Quare Kirchh. verba hunc fere in modum redintegranda esse censet: . . . . *ἐὰν δὲ γράφεται πόνων ἀφύκτων, οἷον κατ' ἀνάγκην κτλ.* Eadem est sententia Bartholdi p. 39. Nauckius Nov. Annal. philol. et paed. vol. 69. p. 621 omnia recte se habere putat, si verba quae sunt *καὶ τῶν ἀφύκτων πόνων* mutentur in *ἢ τῶν ἀφύκτων πόνων*. Quae mutationes num necessariae sint, si quidem verba ipsius auctoris incerti restituere volumus, dubito, quoniam haud raro illi evenisse patet, ut diversas diversarum lectionum interpretationes perinde ac si eodem redirent conglutinaret. Quamquam hoc quidem loco conjecturis illis auctoritas quaedam inde nascitur, quod cum in scholiis tum in ipsis codicibus varietas lectionis invenitur. Ceterum verba quae sunt *τόξοις ἀφύκτοις* esse Euripidea et codicum auctoritate et ipso sententiarum nexu ita comprobatur, ut mireris dubitationem Kirchhoffii, qui, cum in ed. Med. Berol. 1852 scripsisset *τόξοις ἀφύκτοις*, in ed. Eurip. a. 1855 verba *πόνων ἀφύκτων* recepit, illud *τόξοις ἀφύκτοις* invectum esse ratus ex Hippol. v. 1416; denique in ed. a. 1867 verba *τόξοις ἀφύκτοις* reposuit. —

V. 581:

*ὡς καὶ σύ· μὴ νῦν εἰς ἔμ' εὐσχήμων γένῃ*
*λέγειν τε δεινός.*

Schol. 584: *τὸ δὲ μὴ νῦν κατὰ Ἀττικοὺς ἀναπέμπεται* (*παραπέμπεται I.*).

Quae verba Hartungus significare arbitratur, particulam negantem ex more Atticorum supervacaneam additam esse; quamobrem interpretem legisse putat:

*ὥστ' οὐ σὺ μὴ νῦν εἰς ἔμ' εὐσχήμων γένῃ.*

Quae sententia quomodo e verbis illis elici possit, equidem non intelligo. Neque omnino, etiamsi ita explicandum esset scholium illud, verba quae in codicibus exstant mutare liceret, cum Hartungi quidem conjectura probata verbo quod est *εὐσχήμων* prorsus falsam tribuamus sententiam. Apparet enim ex eis quae sequuntur, *λέγειν τε δεινός* non significare *εὐσχήμων* hominem probum, sed facundia praestantem.

Rectissime Elmslejus, quem Dindorfius sequitur, scholio indicari intellexit, scribendum esse *μή νυν*.

Non minus inconsulta est ratio, qua Hartungus interpretatur Schol. 637. Quo loco cum casus accusativi qui sunt *ὀργάς* et *νείκη* addita praepositione *εἰς* explicentur, homo ille doctus arbitratur, necesse esse invenerit antiquus interpres praeter haec vocabula aliud verbum et ipsum in casu accusativo positum; scribendum esse igitur

*ἀμφιλόγους ὀργὰς ἀκόρεστά τε νείκη . . . .*
*. . . . προσβάλοι μ' ἃ δεινὰ Κύπρις.*

Sed satis incerta haec suspicio, cum in promptu sit alia ratio, qua explicari possit, cur addiderit interpres praepositionem *εἰς*. Videtur enim conjunxisse verba quae sunt *ὀργάς* et *νείκη* cum *ἐκπλήξασ'*, quocum jam casus accusativus copulatus erat (*θυμόν*). Qua in re non offendes, si tecum reputaveris, quam

parum accurate antiqui interpretes versari soleant in casibus explicandis. Documento sunt loci permulti, quibus praepositiones deesse dicuntur [1]). Cf. schol. Med. 737: *Δίδυμος δέ φησιν ἐλλείπειν τὴν διά, ἵν' ᾖ διὰ τὰ ἐπικηρυκεύματα.* 804: *λείπει ἡ ἀπό.* 862: *σχήσεις φόνον: λείπει ἡ εἰς.* 1143: *λείπει δὲ ἡ εἰς, ἵν ᾖ εἰς στέγας.* Schol. Phoen. 3: *Φοαῖς ἵπποισι: λείπει ἡ σύν.* Schol. Andr. 222: *τὴν σὴν χάριν: λείπει ἡ διά.* 622: *τοῦτο καὶ σκοπεῖτέ μοι: ἀντὶ τοῦ διὰ τοῦτο.* 660: *ἀγώ: ἀντὶ τοῦ δι' ἃ ἐγώ.* 880: *δωμάτων: λείπει ἡ πρό.* 1039: *λείπει τὸ ἕνεκα.* —

Ex hac interpretandi ratione, cujus multo plura exempla possunt afferri, apparet, nihil impedivisse, quominus quivis casus cum quovis verbo conjungeretur.

Quae cum ita sint, non licet mutare verba quae optimi codices exhibent, quippe quae nihil habeant, quod reprehendas.

V. 703:

*λόγῳ μὲν οὐχί, καρτερεῖν δὲ βούλεται.*

Schol. 708: *φησὶν οὖν ὅτι τῷ λόγῳ μὲν προσποιεῖται, τῷ δὲ ἔργῳ οὐ θέλει κρατεῖν καὶ ἀντέχειν.*

Conjicias igitur, interpretem verba legisse hunc in modum distincta: *λόγῳ μέν, οὐχὶ καρτερεῖν δὲ βούλεται.* Neque tamen possum consentire cum Klotzio, cui ita revera verba esse distinguenda persuasum est. Nam cum Aegeus interrogaverit *ἐᾷς δ' Ἰάσων*; ad verba *λόγῳ μὲν* statim cogitatione addes *ἐᾷ*, minime vero supplebis *οὐκ ἐᾷ* (schol. *προσποιεῖται*). Neque probaverim interpretationem Klotzii, qui per ellipsin et zeugma verba perinde accipienda esse dicit, quasi scriptum sit plenius: *λόγῳ μὲν βούλεται καρτερεῖν δ' οὐ βούλεται.*

---

1) Cf. Pauli, De Soph. scholl. Laur. p. 60.

Ex interpretis igitur verbis nihil lucramur. Nam cave ne quid concludas ex eo, quod additum est ab interprete *τῷ δὲ ἔργῳ*, quippe quod insertum sit, ut opposita verbis *λόγῳ μὲν* notione contraria planior fiat sententia. Cf. schol. Andr. 965. De v. l. *καρδία* v. infra p. 56.

V. 730 sqq.:

*τούτοις δ' ὁρκίοισι μὲν ζυγείς*
*ἄγουσιν οὐ μεθεῖ' ἂν ἐκ γαίας ἐμέ·*
*λόγοις δὲ συμβὰς καὶ θεῶν ἀνώμοτος*
*φίλος γένοι' ἂν κἀπικηρυκεύματα*
*οὐκ ἂν πίθοιο.*

Libri *ἐνώμοτος*, nisi quod *ἀνώμοτος* ascriptum est in cod. a. V. 733 in codd. legitur *κἀπικηρυκεύμασι* vel *κἀπὶ κηρυκεύμασι.*

E scholio comperimus, haec verba vitiata esse, non cognoscimus, qua ratione sint emendanda. Atque primum quidem summi est momenti, quod e veterum interpretum verbis luce clarius apparet, olim scriptum fuisse *κἀπικηρυκεύματα*, dativum igitur casum, qui in libris legitur, e conjectura esse profectum. Cf. schol. 735, p. 48. v. 20: *μὴ ὀμόσας δὲ φίλος γένοιο ἂν διὰ τοῦ ἐπικηρυκεύματος. λείπει ἢ διὰ κτλ.* p. 49. v. 1: *εἰ δὲ διὰ λόγων μόνων σύνθοιο, ἴσως ἂν ἐκείνων γένοιο φίλος, καὶ διὰ τὰ ἐπικηρυκεύματα . . . . ἐξαιτουμένοις με ἐκδοίης ἂν αὐτοῖς.* Auctor interpretationis priore loco allatae videtur legisse *τἀπικηρυκεύματα*, cum hoc referat ad ea quae antecedunt; alteram qui attulit, legit *κἀπικηρυκεύματα.* Cf. schol. 737, p. 49. v. 9: *τῇ δὲ εὐθείᾳ ἀντὶ δοτικῆς κέχρηται· ἔδει γὰρ εἰπεῖν, καὶ τοῖς ἐκείνων ἐπικηρυκεύμασιν οὐκ ἂν πίθοιο. Δίδυμος δέ φησιν ἐλλείπειν τὴν διά, ἵν' ᾖ διὰ τὰ ἐπικηρυκεύματα.* (vide quae supra exposuimus p. 25).

Praeterea comperimus e scholiis, variam illam

lectionem, quae ascripta est in cod. a., non esse profectam ex posterioris cujusdam hominis conjectura, sed satis antiquam esse: p. 48. v. 20: *μὴ ὀμόσας δὲ φίλος γένοιο ἄν κτλ.* Contra auctor scholii 737 legit *ἐνώμοτος.* —

Apparet igitur, verba quae nunc mala grammatici cujusdam sedulitate rectissima esse videantur (nisi quod pro *καὶ θεῶν ἐνώμοτος* scribendum sit *μὴ θεὸν ἐνώμοτος*), ea Didymi tempore aperte corrupta fuisse. Cum accusativus *ἐπικηρυκεύματα* sine dubio recipiendus sit, difficillimum sane est, verba cum probabilitatis quadam specie restituere, id quod elucet ex magno conjecturarum numero. (Vide Elmsleji et Hermanni annotationes). Nauckius pro *φίλος* scribendum esse putat *φῆλος*, verba autem quae sunt *οὐκ ἄν πίθοιο* mutanda in *τάχ' ἄν πίθοι σε.* Kirchh. et Weilius versum intercidisse arbitrantur. Mihi nata est ea suspicio, ut verba quae sunt *οὐκ ἄν πίθοιο* locum permutasse putarem cum verbis *οὐ μεθεῖ' ἄν*, scripsisse igitur Euripidem haec fere:

*τούτοις δ' ὁρκίοισι μὲν ζυγεὶς*
*ἄγουσιν οὐ πίθοι' ἄν ἐκ γαίας ἐμέ·*
*λόγοις δὲ συμβὰς μὴ θεῶν ἐνώμοτος*
*φίλος γένοι' ἄν κἀπικηρυκεύματα*
*οὐκ ἄν μεθεῖο* [1]).

Concedo haud ita facile esse explicatu, qua ratione ex his verbis nasci potuerit codicum scriptura. Causa mutationis fortasse posita est in eo, quod ad *πίθοι'* ascripsit nescio quis *μεθεῖ'*, unde penderet praepositio *ἐκ.* Quo facto eo facilius fieri potuit, ut verba illa inter se mutarentur, quoniam utrumque conjunctum est cum particulis *οὐκ* et *ἄν.* Nec deest locus, ubi in eo

1) Cf. schol. p. 49. v. 2 sq.: *διὰ τὰ ἐπικηρυκεύματα . . . ἐξαιτουμένοις με ἐκδοίης ἄν αὐτοῖς.* —

fuit, ut similis oreretur mutatio: V. 1201: *ἐξαναστῆσαι δέμας.* schol. 1212: *δέμας: γρ. πόδα ἢ γόνυ.* v. 1204: *γρ. δέμας.* *ἐξαναστῆσαι γόνυ.* cod. *B*: *γόνυ.* —

V. 777:

*ἐχθροῖσι παῖδας τοὺς ἐμοὺς καθυβρίσαι.*

Hunc versum, quem confictum esse apparet e vv. 1048. 49, rectissime Kirchh., Brunckium et Hartungum secutus, spurium esse putat. Neque tamen probare possum sententiam Hartungi, qui e scholio 773 colligit, antiquos interpretes versum hoc loco non legisse. Leguntur enim in fine scholii 773 haec: *αἰτήσομαι δὲ, φησὶν, αὐτὸν τοὺς παῖδας ἐᾶσαι ἐνταῦθα μεῖναι, καὶ αὐτοὺς, φησὶ, συγκατακτενῶ, ἀλλ' ἵνα πρότερον διακονήσωσί μοι πρὸς τὸν τῆς Γλαύκης θάνατον.* — Quibus verbis quam brevissime explicantur ea, quae leguntur inde a. v. 775. usque ad. v. 789. Quare nequaquam mirandum est, quod versus 777 nulla fit mentio. Neque Hartungus, si accuratius quaesivisset, ad quaenam verba explicatio illa referenda esset, dixisset, de caede liberorum hoc loco non esse sermonem, scribendum esse igitur in ipso scholio *οὐχ ὡς αὐτοὺς ἐγκαταλίπω* pro eis quae nunc inveniuntur *καὶ αὐτοὺς συγκατακτενῶ.* Nam spectant haec ipsa verba tam aperte ad ea quae leguntur v. 785 *τέκνα γὰρ κατακτενῶ,* ut nulla omnino esse possit dubitatio, quin ipse scholii auctor scripserit illud *συγκατακτενῶ.* Quae cum ita sint, concidunt ea quoque, quae concludit Hart. e verbis ab ipso restitutis *οὐχ ὡς αὐτοὺς ἐγκαταλίπω*: legisse antiquum interpretem non *οὐχ ὡς λιποῦσα,* sed *οὐχ ὡς λίπω σφε.* —

V. 820 sq.:

*καὶ θεῶν παῖδες μακάρων ἱερᾶς*
*χώρας ἀπορθήτου τ' ἀποφερβόμενοι*
*κλεινοτάταν σοφίαν.*

Primus Nauckius l. a. p. 126 in eo offendit, quod Athenienses tamquam bestiae dicuntur sapientiam terra editam depascere. Quare delenda esse censet verba *κλεινοτάταν σοφίαν*. Verum enim vero meliora potuit edoceri verbis scholii 826: *ἡ σύνταξις οὕτως, ἀπὸ ἀπορ-ῥήτου χώρας*. Jam Elmslejus eum qui haec scripsit legisse suspicatus est *ἄπο φερβόμενοι*, sed Weilius primus scholii ope verba ita restituit, ut commate quod dicitur posito post *ἄπο*, ipsam praepositionem referret ad ea quae antecedunt: *θεῶν παῖδες χώρας ἄπο*. Nec non accedit huic sententiae auctoritas quaedam ex eis quae in scholio sequuntur: *τὸ δὲ φερβόμενοι κτλ.*, unde apparet praepositionem olim sejunctam fuisse a verbo *φερβόμενοι*.

V. 831 sq.:

*τῇ σοφίᾳ παρέδρους πέμπειν ἔρωτας,*
*παντοίας ἀρετᾶς ξυνεργούς.*

Schol. 836: *λέγουσι δὲ τὴν Ἀφροδίτην . . . . . ἐξαποστέλλειν τοὺς ἐπὶ πᾶσαν σοφίαν ὁδηγοὺς ἔρωτας.*

Quibus ex verbis Hartungo effici videtur, pro *τῇ σοφίᾳ . . . . ἔρωτας* scriptum fuisse: *τοὺς σοφίᾳ . . . . ἔρωτας*. Quam suspicionem etiamsi prorsus certam esse vix putaveris, tamen sententia ita commendatur illud *τούς*, ut sine ulla dubitatione sit praeferendum. Nam cum constet Euripidem, quam proxime accedentem ad Platonis de amore doctrinam, discrevisse[1]) a corporis amore alterum illum, omnis sapientiae parentem, apparet de hoc certo amoris genere eo de quo agimus loco esse cogitandum, praesertim cum addatur *παντοίας ἀρετᾶς ξυνεργούς*.

---

1) Cf. fragmentum Dictyis, quod affert Stobaeus Ecl. 1, 9, 4, 272. (Dind. Poett. scen., frgm. 342.) —

V. 833 sqq.:

*Πῶς οὖν ἱερῶν ποταμῶν*
*ἢ πόλις ἢ φίλων*
*πόμπιμός σε χώρα κτλ.*

Schol. 846: *τῷ προτέρῳ δὲ διαζευκτικῷ συνδέσμῳ τῷ ἢ τὸ ἡ ἄρθρον ἔξωθεν προσδεκτέον, τουτέστιν ἢ ἡ πόλις, ἢ ἡ χώρα.* —

Quae verba quomodo Hart. ita accipere potuerit, ut interpretem legisse putaret *ἢ πόλις ἡ φίλων*, non intelligo, cum scholio, quo nihil potest esse dilucidius, indicari pateat, ad conjunctionem cogitatione addendum esse articulum. —

Auctor scholii, quod proxime antecedit *πῶς οὖν τὴν τεκνολέτειραν . . . . καὶ ἀγαθῶν* legisse videtur *ἡ πόλις ἡ φίλων*, quamquam ne hoc quidem pro certo affirmaverim. —

V. 849.

E scholiis apparet, non recenti demum tempore verba corrupta esse. Schol. 862: *σχήσεις φόνον: λείπει ἡ εἰς, οὐ καρτερήσεις.* Legit igitur interpres *φόνον*. Contra auctor scholii 864. (quod recte emendavit Kirchh.) invenit *φόνῳ*, ut apparet ex interpretatione *οὐ καρτερήσεις τῇ ἐργάσει τοῦ φόνου τέγξαι.* Neutrum probandum, sed scribendum *φόνου*, quod in textum quem vocant receperunt Klotzius, Weilius, Bauerus. Nam ut omittam tautologiam, quae inest in verbis *φόνῳ τέγξαι χέρα φοινίαν*, recte offendit Bauerus l. a. p. 21 in eo, quod in enunciati initio positum sit illud *φόνῳ*, quippe quo multo plus habeant ponderis verba *οὐ δυνάσει.*

V. 899:

*ἔγνως δὲ τὴν νικῶσαν ἀλλὰ νῦν χρόνῳ.*

B *ἀλλὰ νῦν χρόνῳ* (γρ. *τῷ*) E *ἀλλὰ νῦν χρόνῳ.* ceteri *ἀλλὰ τῷ χρόνῳ.*

Num Klotzius e scholiastae verbis quae sunt *ἔγνως δὲ τὴν νικῶσαν: ἀλλὰ νῦν ὥσπερ ἐκ μετανοίας τὸ κάλλιστον αὐτῇ βουλεύῃ. τὸ δὲ ἑξῆς, ἔγνως δὲ τῷ χρόνῳ κτλ.* — recte concludat, *νῦν* interpretationis causa ascriptum fuisse, jure dubitabis, cum nihil impediat, quominus cogitemus de scholio bipartito. Certum est, non talem prae se ferre conjecturam illam speciem veritatis, cui postponatur optimorum librorum auctoritas. —

V. 970 sq.:

*Πείσει χάρις ἀμβρόσιός τ' αὐγὰ πέπλον*
*χρυσότευκτόν* [*τε*] *στέφανον περιθέσθαι.* —

πέπλου
Bπέπλων *B πέπλου*, ceteri *πέπλων*;
*χρυσεότευκτον* quod est in libris, correxit Elmslejus; particulam *τέ* inseruit Reickius.

Quin quae in codd. exstant, corrupta sint, nemo dubitabit, cum pepli splendore Glaucam non posse commoveri appareat, ut capiti imponat coronam.

Schol. 983: *αὐτὴ δὲ ἡ λαμπηδὼν τοῦ χρυσέου στεφάνου καὶ τῶν πέπλων πείσει αὐτὴν .... περιτίθεσθαι ταῦτα.* Quae interpretatio si accurata est, conjicias interpretem legisse . . . *αὐγὰ πέπλων χρυσοτεύκτου τε στεφάνου*, quae verba Euripidea esse jam Klotzius putavit, in ipsum verborum ordinem recepit Weilius. Sed convenit sane optime explicatio illa cum eis quoque verbis quae in codicibus inveniuntur, si quidem pro *πέπλων* scribimus *πέπλον* et post *χρυσότευκτον* inserimus particulam *τέ*, quam, a Reiskio e conjectura additam, interpretem illum invenisse luce clarius apparet e verbis *τοῦ στεφάνου καὶ τῶν πέπλων*. Quamobrem ex scholii auctoritate non est judicium faciendum.

De particula *τέ*, quae nunc legitur in v. 970 post verbum *ἀμβρόσιος*, certiora possunt e scholiis evinci.

Apparet enim e verbis quae exstant solo in cod. B: *αὐτὴ χεροῖν λαβοῦσα: αὐτὰ χάρις ἀμβρόσιός τε αὐγὰ πέπλων πείσει*, falsam esse sententiam Kirchhoffii, qui edit. Med. 1852. p. 103 illud *τέ* a librariis e conjectura insertum esse dicit.

V. 968:

*ξανθᾷ δ' ἀμφὶ κόμᾳ θήῃ —*
*σει τὸν Ἅιδα κόσμον —.*

Schol. 980: *θήσει τὸν Ἅιδα: θάνατον, φησὶ, μᾶλλον περιθήσεται ἢ κόσμον.* Cujus explicationis auctorem unde Hartungus compertum habeat verbum *κόσμον* non invenisse, sed legisse *περιθήσεται τὸν Ἅιδαν* — equidem non intelligo. —

De vv. 979 et 1041 vide supra p. 10.

V. 1038 sq.:

*ἀλλὰ τῆς ἐμῆς κάκης,*
*τὸ καὶ προέσθαι μαλθακοὺς λόγους φρενός.*

Libri *φρενός*, praeter *B*, in quo legitur *φρενί*. Quam lectionem non esse profectam a librario quodam posterioris temporis, documento est schol. 1052: *τὸ καὶ προέσθαι μαλθακούς: τὸ ἐνδοῦναι τῇ φρενὶ μαλθακοὺς λόγους*. Quae verba apertum est spectare ad dativum *φρενί*. Est igitur non tenuior hujus lectionis auctoritas quam optimorum librorum (v. supra p. 10.). Quae auctoritas etiam augetur eo, quod multo facilius fieri potuit, ut pro *φρενί* scriberetur *φρενός*, quam ut contra mutaretur *φρενός* in *φρενί*. Probabilissima est enim Elmsleji conjectura, genitivum invectum esse, quia pro *κάκης* scriptum esset *κακῆς*. Neque praestat propter sententiam illud *φρενός*, id quod satis apparet ex discrepantia interpretandi rationum. Klotzium secutus si sumpseris, *φρενός* dictum esse pro *ἐκ φρενός*, Medea erit putanda dolere, quod cogitata prolocuta sit, non dolere quod omnino talia cogitaverit. Sin conjungis

φρενός cum verbo λόγους, cum Weilio contra omnium codicum et scholii auctoritatem scribendum est μαλθακῆς.

Quae cum ita sint, reponendus est dativus φρενί. Neque tamen hoc recepto locum prorsus esse emendatum putaverim. Offendo enim in verbo quod est προέσθαι, quod, quacunque ratione explicas, eam prae se fert speciem quasi Medeam poeniteat professionis, non ita ipsorum cogitatorum. Scribendum est quod proposuit Badhamus προσέσθαι. Quae mutatio facillima est, cum constet saepissime inter se mutata esse προ — et προς —. Cf. Andr. 993. Med. 1345. — Neque veri est dissimile, antiquum interpretem hoc verbum invenisse, quocum melius certe convenit illud ἐνδοῦναι quam cum verbo προέσθαι. Qua ratione explicandum sit προσέσθαι, apparet ex Electr. v. 621: προσηκάμην τὸ ῥηθέν, ad quem versum Seidlerus affert verba Hesychii: προσίεται· ἀρέσκεται. προσδέχεται, ἡδέως λαμβάνει. —

Ceterum haud scio an Badhami conjecturae auctoritas quaedam concilietur ex Hesychii verbis quae sunt: προσέσθαι. ἐκδοῦναι. Quo loco cum M. Schmidt. mutandum esse censeat προσέσθαι in προέσθαι, equidem scribendum esse putaverim προσέσθαι· ἐνδοῦναι, ut congruant verba cum scholio de quo agimus. Sed cum et scholium et Hesychii verba mutanda sint, ut consensus efficiatur, hoc loco non licet cogitare de Didymo auctore, quamvis vera sint, quae exposuit M. Schmidt. Did. frgm. p. 272 de ratione, quae intercedat inter scholia et Hesychium [1]).

Postremo afferam, ne quis offendat in verbo φρενί cum abundantia quadam addito, similem locum, ab

1) Cf. Barth. l. a. p. 27 sq. J. Frey, De Aesch. scholl. Med. p. 26.

Elmslejo citatum, Hecub. v. 297 sq.: *μηδὲ τῷ θυμουμένῳ τὸν εὖ λέγοντα δυσμενῆ ποιοῦ φρενί.* —

V. 1071:

*πρὸς ἅμίλλας*
*ἦλθον μείζους ἢ χρὴ γενεὰν*
*θῆλυν ἐρευνᾶν.*

B *εἰ* C *ἦ* Ecd *ἤ* *B εἰ C ἤ.* —

E schol. 1081. p. 68. v. 9: „*ζητοῦσα, εἰ δυνατὸν καὶ τῇ γυναικείᾳ φύσει ἐρευνᾶν τὰ τοῦ βίου πράγματα*“ — apparet, variam lectionem *εἰ*, quae quin falsa sit nemo dubitabit, satis esse antiquam. Nata est fortasse jam Euclidis archontis aetate, cum, literis ionicis in usum receptis, libri antiquis literis scripti transscriberentur [1]).

V. 1075 sqq.:

*παῦρον δὴ γένος ἐν πολλαῖς*
*εὕροις ἄν ἴσως·*
*κοὐκ ἀπόμουσον τὸ γυναικῶν.*

*γρ. δέ τι*

V. 1075 B *δὲ δή* CEae *δὲ δή* *B παῦρον δέ τι,* de ceteris non constat.

Elmsl.: *παῦρον δὲ γένος (μίαν ἐν πολλαῖς*
*εὕροις ἂν ἴσως).*
*οὐκ ἀπόμουσον τὸ γυναικῶν.*

Verbum *μίαν* inseruit ex similitudine Heracl. v. 327. Quae conjectura confirmari videtur testimonio schol. p. 68. v. 13: *ὧν οὖσα μία καὶ αὐτὴ τυγχάνω.* Cf. Weil. Quominus autem magnam tribuamus auctoritatem ver-

---

1) Cf. schol. Phoen. 682 cum annot. Valck. F. A. Wolff. Proll. ad Hom. p. 63. n. 29. Boeckh. „Ueber die krit. Behdl. der Pind. Ged.“ p. 307 sqq. Jul. Richter, de vett. Aesch. Soph. Eurip. interpretibus p. 27. Sauppe, Epist. crit. p. 98. G. Wolff, l. a. p. 214. Francken, de ant. Aesch. interpretationum ad genuinam lect. restit. usu et auct. p. 131. Leutsch, Praef. Schneidew. Agam. p. XVI. W. Christ. Philol. 25. p. 607.

bis schol. 1085 „*οὐκ ἀπόμουσον τὸ γυναικῶν*“, prohibemur eis, quae supra p. 11 sq. exposuimus de tenui scholiorum fide in poetae verbis afferendis.

V. 1098 sqq.:

*εἰ δὲ κυρήσας*
*δαίμων οὕτως φροῦδος ἐς Ἅιδην*
*θάνατος προφέρων σώματα τέκνων.*

Kirchh. et Weilius schol. p. 69. v. 2—5 et schol. 1110 spectare putant ad verba *κυρήσας . . . οὕτως* —, mea quidem sententia perperam. Verba enim quae sunt *τούτων οὕτως ἐχόντων* non explicant Euripidis *κυρήσας δαίμων οὕτως*, sed complectuntur ea quae antecedunt *καὶ δὴ γὰρ ἅλις . . . . χρηστοί τ' ἐγένοντ'*. Participium quod est *φθάσας* inseruit interpres propter ipsius verba *πρὶν ὄνασθαι τῶν ἀγαθῶν* [1]). Verbis autem *εἰ δὲ δὴ τούτους ἁρπάσειε* interpretatur *εἰ δὲ κυρήσαι . . . σώματα τέκνων*. Quam interpretandi rationem aperte falsam eum secutum esse, confirmatur schol. 1110, ubi verbo *δαίμων* significari mortem dicit: *δαίμονα γὰρ τὸν θάνατον ὠνόμασεν*. Nec non in hac ipsa interpretatione posita est causa, qua adductus est, ut a verbis *πῶς οὖν λύει κτέ.* apodosin incipere arbitraretur.

Quae si recte disputavimus, interpretem legisse *κυρήσαι* licet colligere ex eo, quod ipse utitur optativo *ἁρπάσειε*. (Optativus enim legitur in cod. B, cum a et I. exhibeant futurum *ἁρπάσει*, quamobrem Elmslejus, qui recte scholii sententiam perspexit, scriptum fuisse censet *κυρήσει*.) Neque jam quicquam in scholiis invenies, ex quo interpretem legisse *οὕτως* conjicias.

Scribendum est igitur:

*εἰ δὲ κυρήσαι*
*δαίμων οὗτος, φροῦδος κτλ.*

---

1) Vide, quae supra disseruimus p. 14 de schol. Andr. 24. —

Quae verba ita sunt intelligenda, ut significari putemus illud *λοίσθιον κακόν* v. 1095. Post verbum autem quod est *τέκνων* v. 1100 contra scholii auctoritatem plene distinguendum est, cum ea quae sequuntur „*πῶς οὖν λύει*“ *κτλ.*, non sint referenda ad ea sola, quae proxime antecedunnt, sed ad sententiam toto fere chori cantico expressam.

V. 1102:

*τήνδ' ἐπὶ λύπην* BCed *B*, sed in B ascriptum est *γρ. τήνδ' ἔτι λύπην*, quam lectionem sine dubio veram confirmant verba schol. p. 69, v. 4: *πῶς ἔτι λυσιτελεῖ κτλ.*

V. 1119:

*ἥτις τυράννων ἑστίαν ᾐκισμένην*
*χαίρεις κλύουσα. —*

Accusativum *ᾐκισμένην*, qui est in codd. BEab agnoscit schol. 1129: *οὐκ ἀγωνιᾷς ἀκούσασα τὸν βασιλικὸν οἶκον διεφθάρθαι. —*

V. 1128:

*δι' ὥτων δ' εὐθὺς ἦν πολὺς λόγος.*

Weilius primus intellexit, variam lectionem contineri verbis scholii 1136: *πολὺς ἦν λόγος κατὰ τὴν οἰκίαν.* Cujus explicationis auctor sine dubio legit *δι' οἴκων*, quod summo jure Weilius inter poetae verba recepit. Cf. Klotz. Praef. Med. a. 1867, p. XIII.

Sed vereor ut possim probare ejusdem hominis docti judicium de scholio 1158 (v. 1147 K.), cum conjecturae suae *τέκν'*, *αὐτόθεν*, auctoritatem quandam parare studeat e verbo *εὐθύς*, quod in antiqua interpretatione ante *λαβοῦσα* insertum est. Nam tantum abest, ut necesse sit putemus, certum poetae verbum explicari illo *εὐθύς*, ut nihil obstet, quominus interpretem notionem, quae inest in verbis *πρὶν . . . μακρὰν ἀπεῖναι κτλ.*, paulo majore vi extulisse arbitremur, quo-

niam tota interpretatio liberior est neque ita comparata, ut verbum verbo reddatur, id quod non esse praetermittendum vidimus supra p. 13.

V. 1190:

*γναθμοῖς ἀδήλοις φαρμάκων.*

Schol. 1201: *γναθμοῖς ἀδήλοις: αἱ δὲ σάρκες, φησὶ, τῶν γναθμῶν κατέρρεον ὑπὸ τῶν ἀδηλοποιῶν φαρμάκων. δοτικὴ δὲ ἀντὶ γενικῆς γράφεται.*

Elmslejo interpres legisse videtur: *γναθμοῖς ἀδήλων φαρμάκων*, Reiskio: *γναθμοῖς ἀδήλοις φαρμάκων*, Kirchhoffio: *γναθμοῖς ἀδήλοις φαρμάκοις*, quod scriptum fuisse judicat in autographo.

Ex ipsa interpretandi ratione interpretem conjicias legisse *γναθμῶν ἀδήλοις φαρμάκοις*, cum appareat eum *γναθμούς* maxillas intellexisse. Sed dubium est quid significent verba quae addita sunt *δοτικὴ δὲ ἀντὶ γενικῆς γράφεται.* Si verum esset quod legitur in ed. Arseniana *κέχρηται*, interpres invenisse videretur *γναθμοῖς ἀδήλοις φαρμάκοις.* Sed summo jure illud *κέχρηται* Dindorfio profectum esse videtur ex conjectura Arsenii, cum in codd. Ba legatur *γράφεται.*

Quo verbo quoniam notum est indicari ex constanti veterum interpretum usu lectionis varietatem, duae contineri scholio videntur lectiones, altera *γναθμῶν ἀδήλοις φαρμάκοις*, altera *γναθμοῖς ἀδήλοις φαρμάκοις*, si quidem utramque idem interpres indicavit. Quod cum incertum sit, ambiguum est, quid legerit is qui addidit verba *δοτικὴ κτέ*, quippe quae possint spectare ad *ἀδήλοις* quoque pro *ἀδήλων*, vel *φαρμάκοις* pro *φαρμάκων.* —

Ceterum lectionis varietas nata est ex ambiguitate verbi *γναθμός*, quamquam satis apertum est hoc loco intelligendos esse morsus, non maxillas, quoniam unde

caro defluat indicatum est in versu qui antecedit „*ἀπ' ὀστέων*“, neque defluit solis de maxillis. —

Scribendum est igitur, quod legitur in optimis codicibus *γναθμοῖς ἀδήλοις φαρμάκων.*

V. 1212:

*γνώσῃ γὰρ αὐτὴ ζημίας ἀντιστροφήν.*

Libri *ἀποστροφήν.* Christ. pat. v. 800 *ἀντιστροφήν*, quod cum confirmari videatur scholio 1222 inter poetae verba recepit Kirchhoffius [1]), quem sequitur Weilius. Neque potest negari, similis certe verbi vestigia inesse in scholii verbis quae sunt: *πειραθήσῃ γὰρ αὐτὴ τιμωρίας . . . . ζημίας δὲ ἀποστροφὴν* (sic) *τὴν ἀντανάκλασιν τῆς συμφορᾶς ἧς δέδρακας, καταληψομένην σε. . . . . τῇ πείρᾳ γνώσῃ ἐπαναστρεφομένην εἰς σὲ τὴν ζημίαν . . . . αὐτὴ γὰρ γνώσῃ τὰ λοιπὰ ἐκ τῆς εἰς σὲ ἀνακυκλουμένης ζημίας.* Cf. schol. 1223: . . . *ὄψει . . . τὴν καταληψομένην σε τιμωρίαν.* —

Quas interpretandi rationes patet non quadrare in verba *ζημίας ἀποστροφήν*, quae significant poenae depulsionem. Jam observandum est, verba quae proxime antecedunt *τὸ μὲν σὸν ἐκποδὼν ἔστω λόγου* non ita esse accipienda, ut ea intelligit Klotzius: „ego tuae causae rationem non habebo in oratione“, sed horrore quodam affectus nuntius dicit: „tua autem fortuna procul absit ab oratione mea.“ Quibus verbis parum respondere apparet ea quae leguntur in codicibus: „reperies enim ipsa poenae effugium“, cum optime respondeant ea quae ex antiqua interpretatione eruuntur: cognosces enim ipsa, poenam te esse soluturam.

Accedit, quod fiducia quam declarant verba in codicibus tradita non convenit cum eis, quae antea dixit nuntius vv. 1118—1120.

---

1) In editione a. 1867 *ἀποστροφήν* reposuit.

His omnibus reputatis mihi quidem persuasum est, requiri hoc loco eam sententiam, quae ante oculos obversata sit veteribus interpretibus. Prorsus similia sunt quae leguntur Andr. 483 sq.:

*ἔτι σε, πότνια,*
*μετατροπὰ τῶνδ' ἔπεισιν ἔργων. —*

Sed utrum scribendum sit *ἀντιστροφήν*, confirmatum illud quidem Christ. pat. loco allato, sed quod non usurpasse videtur Euripides, an praeferendum *ἀναστροφήν* (cf. schol. *ἀντανάκλασιν . . . ἐπαναστρεφομένην . . . ἀνακυκλουμένης*) in dubio relinquam. —

V. 1245:

*θεοῦ δ' αἵματι πίτνειν*
*φόβος ὑπ' ἀνέρων. —*

Schenkelius Nov. Annal. philol. et paed. a. 1862. vol. 85. p. 849 e schol. 1255 concludit, interpretem *αἷμα* invenisse. Sed vereor ne hoc temere factum sit. Schol. a: *αἵματι: ἀντὶ τοῦ γένει*, aperte spectat ad dativum. Neque certi quicquam efficitur e verbis quae sunt in cod. B: *αἷμα δὲ τὸ γένος. ἐπεὶ οὖν φόβος ἐστὶ τὸ θεῖον αἷμα ὑπὸ ἀνθρώπων πεσεῖν* — quamquam haec esse referenda ad *αἷμα* non sine aliqua veritatis specie conjicias.

Ejusdem scholii verbis *θεῖον αἷμα* Weilius sibi dicit esse suppeditatum verbum *ἄμβροτον*. Quae sententia nihil habet quo commendetur, cum nulla re prohibeamur, quominus ad *θεοῦ* vel *θεῶν* illud *θεῖον* referamus.

V. 1249:

*ἔξελ' οἴκων φονίαν*
*τάλαιναν τ' Ἐρινὺν ὑπ' ἀλαστόρων.*

B *ἐρινῦν*. Schol. 1259: *ὑπέξελε τῶν οἴκων τὴν φονίαν Ἐρινύν*. Quibus verbis explicari accusativum *Ἐρινύν* apertum est. Neque aliter judicandum de schol.

1261: *ὑπὸ δαιμόνων πονηρῶν ἀπόλλυται τὰ τέκνα.* Etenim *δαίμονες πονηροί* ei sunt, quos Eurip. nominat *ἀλάστορας* (cf. Hesych. *ἀλάστωρ· πικρὸς δαίμων*). Retulit igitur interpres perperam verba *ὑπ' ἀλαστόρων* ad ea quae sequuntur, id quod non fecisset, si legisset genitivum *Ἐρινῦν*. Inconsultum est igitur judicium Hartungi, qui interpretationem illam refert ad genitivum *Ἐρινῦν* sive *Ἐρινύων*. —

Ceterum nihil hoc loco e scholiis lucramur. —

V. 1287 sqq.:

*εἰ μὴ τυράννων δώμασιν δώσειν δίκην*
*πέποιθ'. ἀποκτείνασα κοιράνους χθονὸς*
*ἀθῷος αὐτὴ τῶνδε φεύξεται δόμων;*

Libri *δώσει* et *φεύξεσθαι*. Schol. 1296: *δεῖ γὰρ αὐτὴν . . . ., εἰ μὴ ἄρα πέποιθε μὴ δώσειν δίκην τῶν τολμηθέντων.* — Quam interpretationem qui attulit, legit infinitivum *δώσειν*, pendentem illum a verbo *πέποιθε*. Neque enim cogitandum esse de falsa vel parum accurata explicatione, apparet e schol. 1300: *ἀθῷος: ἀντὶ τοῦ φεύξεται ἀτιμώρητος*, ubi invenimus indicativum pro infinitivo *φεύξεσθαι*, cui locus non est, si *πέποιθε* refertur ad ea quae antecedunt.

Kirchh. scripturam, quam interpreti ante oculos obversatam esse patet, exstitisse arbitratur in autographo, ab hac igitur proficiscendum esse homini critico sive emendaturo sive interpretaturo, non ab ea, quae nata sit librariorum recentiorum sive negligentia sive corrigendi libidine. Quam artis criticae factitandae rationem, licet plerumque recta sit, non omnibus locis esse observandam, apparet ex eis, quae supra p. 8 sq. disseruimus. Cum enim constet, auctorem incertum scholia ad poetae verba accomodare, etiamsi voluerit, non potuisse, cave ne putes omnibus locis scholiorum

lectiones exstitisse in autographo, superare igitur aetate verba quae in codicibus nunc leguntur. Quare ex singulorum locorum natura constituatur necesse est, quid quoque loco sit judicandum. Quod cum ita sit, mea quidem sententia praeferendum est *δώσει*, quod legitur in codicibus. Nam notio verbi *πεποιθέναι* non quadrat in ea quae antecedunt (cf. quae annotat Weilius), contra optime convenit cum verbo *φεύξεσθαι*. Ea autem difficultas, in qua haeret Herm. Adnott. p. 399, in eo illa quidem posita, quod interrogatio nulla particula superioribus annectitur, ne scholiorum quidem lectione recepta tollitur.

Ceterum cum vv. 1288. 89 nihil novi contineant, sed repetant sententiam trium qui antecedunt versuum aliis verbis eisque satis frigidis, non temere mihi videor conjicere, versus illos esse interpolatos. —

De v. 1298 vide quae supra exposuimus p. 15. —

## II. Andromacha.

Androm. v. 24 supra tractavimus p. 14.

V. 133:

*τὸ κράτος δέ σ' ἔπεισι.*

In omnibus codicibus legitur *δέ σε πείσει*. Sola scholia verae scripturae vestigia continent, id quod primus perspexit G. Hermannus, qui verba *ἀντὶ τοῦ καταλήψεται κράτος* non quadrare in verba *σὲ πείσει*, sed referenda esse ad *σ' ἔπεισι* recte intellexit. Qua de re omnis tollitur dubitatio verbis quae servata sunt in cod. A: *ἀντὶ τοῦ οἱ δεσπόται κατὰ σοῦ ἐλεύσονται*. Quid de varia lectione *κρατοῦν* pro *κράτος* judicandum sit, exponemus infra p. 62.

V. 181:

*ἐπίφθονόν τι χρῆμα θηλειῶν ἔφυ.*

Quorum verborum, quae leguntur in omnibus codicibus, loco olim scriptum fuisse . . . *θηλείας φρενός*, intelligitur ex Stob. flor. LXXIII. 48. t. III. p. 46. Ad eandem scripturam referenda sunt verba scholii: *θηλείας φρενός ἀντὶ τοῦ θήλεια φρήν. φθονερόν τι γένος ἡ γυναικεία φρήν. ἀλλὰ χρῆμα τῆς θηλείας* (l. *ἄλλοι δὲ γρ. χρῆμα θηλειῶν ἔφυ* Kirchh.). Verba Stobaei et scholii sine ulla dubitatione esse praeferenda mihi persuasit Nauckius l. a. p. 94. De ratione qua nata sit codicum scriptura v. infra p. 63 sq. Cf. Andr. v. 717, de quo v. infra p. 45.

V. 190:

*οἱ γὰρ πνέοντες μεγάλα τοὺς κρείσσους λόγους*
*πικρῶς φέρουσι τῶν ἐλασσόνων ὕπο.*

Hermannus *ἄπο* legisse conjicit antiquum interpretem, qui locum explicat hisce verbis: *οἱ γὰρ μέγα φρονοῦντες βαρέως φέρουσιν ἐπὶ τῷ παρὰ τῶν ἐλασσόνων δικαιοτέρους λόγους ἀκούειν καὶ ἐλέγχεσθαι.*

Equidem ego facere non possum, quin astipuler Klotzio, qui ex eo, quod adduntur explicationis causa verba *ἀκούειν καὶ ἐλέγχεσθαι*, effici censet, ante oculos illum habuisse *ἴπο*, quod est in codicibus. —

V. 269. 70:

*δεινὸν δ' ἑρπετῶν μὲν ἀγρίων*
*ἄκη βροτοῖσι θεῶν ἐγκαταστῆσαί τινα. —*

In verbo *ἐγκαταστῆσαι*, quod legitur in omnibus codicibus, summo jure homines docti offenderunt (cf. annot. Herm.). Jam Musgravius scribendum esse conjecit *καταστῆσαι*. Cui conjecturae, confirmatae illi quidem testimonio Stobaei fl. LXXIII. 19. III. p. 46, auctoritas quaedam conciliatur e schol. 269, ubi bis legitur verbum *καταστῆσαι*, quo ad interpretandum ver-

bum *ἐγκαταστῆσαι* accuratus quidem interpres non potuit uti. —

V. 291.

Probanda fortasse sententia Jacobsii, qui verbum *κατασκευάζουσαν* quod legitur in scholio ad hunc versum, corruptum esse suspicatur ex *κατασκευάζουσιν*. Neque tamen ex eo efficitur, interpretem dativum participii alicujus invenisse (*πορσύνουσι* pro *περγάμοις τε* ex Jacobs. conj.), sed addidit participium, quod responderet adjectivo *τερπνοῖς*, ad explicandum accusativum *πικρὰν σύγχυσιν*, id quod intelligitur e schol. 293, ubi eadem de causa supplendum esse *τὸ ἔχουσιν* annotatum est. —

V. 292 sq.:

*Ἀλλ' εἴθ' ὑπὲρ κεφαλὰν ἔβαλεν κακὸν*
*ἃ τεκοῦσά νιν Πάριν.*

Schol. 294: *εἴθε ὑπὲρ κεφαλῆς Πάριδος ἔβαλε θάνατον ἡ τεκοῦσα τὸν Πάριν.* Quibus ex verbis Herm. concludit, scripsisse poetam: *εἴθε δ' ὑπὲρ κεφαλᾶς ἔβαλεν κακὸν ἃ τεκοῦσά νιν μόρον.* Sed optimo jure de hac re dubitaveris. Primum enim ex ipso Paridis nomine bis posito conjicias, interpretem jam legisse verbum *Πάριν*, quamvis certum sit, hoc esse spurium, sive natum sit ex interpretamento margini ascripto, ut putant Fixius et Kirchh., sive ortum sit mendo scripturae, quae est opinio Nauckii, l. a. p. 99. Deinde facile potuit fieri, ut interpres, utpote qui non perspiceret sententiam verborum *ὑπὲρ κεφαλὰν ἔβαλεν* . . . . (vide annott. Koerneri, Pflugkii; Nauck. l. a.), solum verbum *κακόν* interpretaretur verbo quod est *θάνατος*, id quod Nauckius recte Hermanno opponit.

E scholio igitur nulla potest erui lectionis varietas. De genitivo *κεφαλᾶς* vide infra p. 15. —

V. 340:

*οὐχ' ὧδ' ἄνανδρον αὐτὸν ἡ Τροία καλεῖ.*

Libri *καλεῖ*. Schol. 341: *κάλει: ἀντὶ τοῦ ἐκάλει* A. *ἐκάλει, καὶ οὗτος ὁ τόνος παροξυτόνως.* Quae varia lectio sine dubio orta est, quia offensionem habebat tempus praesens usurpatum de Troja deleta. Neque tamen quicquam tribuendum est huic offensioni, neque probanda per se illa emendandi ratio, cum augmentum hoc loco non possit omitti. —

V. 341:

*ἀλλ' εἶσιν οἷ χρή.* Solo in cod. C. legitur pro *οἷ*, quod est in ceteris omnibus, *ᾗ*. Quam variam lectionem non esse profectam ex librarii alicujus posterioris sive conjectura sive mendo scripturae, documento sunt verba scholii *ὁρμήσει . . . ὡς πρέπει, μετὰ τῆς δεούσης σπουδῆς, ἐξελεύσεται αὐτὸν ὃν δεῖ τρόπον* [1]). Neque mihi quidem esse dubium videtur, quin lectio illa sit recipienda, cum sententia quoque commendetur. Non enim quo iturus sit Neoptolemus necesse est indicare Andromacham, sed qua ratione, quo consilio sit venturus. Quae sententia multo certe dilucidius declaratur verbis *ἀλλ' εἶσιν ᾗ χρή:* veniet ita ut debet, filium ulturus.

V. 357 sq.:

*αὐτοὶ τὴν δίκην ὑφέξομεν*
*ἐν σοῖσι γαμβροῖς.*

Kirchh. scribi vult *αὐτῇ* pro *αὐτοί* eo consilio, ut dativo casu indicetur, cui poenas solutura si Andromacha. Probabilior autem Nauckii conjectura, qui cum offendat in praepositione *ἐν*, scribendum esse judicat *τοῖς σοῖσι γαμβροῖς*. Neque enim temere mihi videor agere, si e schol. 359 concludo, hoc ipsum legisse inter-

1) Ad verbum οἷ esse referenda videntur verba quae sunt *ἐλεύσεται εἰς ἃ πρέπον ἐστί.* —

pretem, qui si legisset *ἐν σοῖσι γαμβροῖς*, ad haec verba explicanda vix annotasset *τῷ Νεοπτολέμῳ*. —

V. 611:

*ἐκφέρουσι γὰρ*
*μητρῷ' ὀνείδη.*

Nescio an legerit *εἰσφέρουσι* pro *ἐκφέρουσι* auctor interpretationis, quae servata est in cod. A: *εἰσφέρουσι ἀντὶ τοῦ κομίζουσι τὰ μητρῷα βουλεύματα εἰς τοὺς γάμους.*

Sed cum ipsa interpretatio quadret in ea quoque, quae leguntur in codicibus, ipsum autem verbum quod est *εἰσφέρουσι* facillime potuerit corrumpi e verbo *ἐκφέρουσι*, praesertim in scholiis, quae satis mendosa esse constat, hujus scholii auctoritatem patet non esse eam, qua freti mutemus ea quae leguntur in codicibus, utpote quae nullam habeant ansam reprehensionis —

V. 659:

*εἰ σὺ παῖδα σὴν*
*δούς τῳ πολιτῶν, εἶτ' ἔπασχε τοιάδε κτλ.*

Reiskius metrum negligens scribi voluit *ἔπασχες*. Quae forma, sine dubio falsa, invenitur in scholiis quoque, ubi quin profecta sit e mendo scripturae, non est dubium, quia, si revera legisset interpres *ἔπασχες*, non scripsisset ea quae antecedunt: *ἦν δ' ἂν οὕτως λεγόμενον ἁπλούστερον· εἰ δόντος σοῦ τινι κτλ.*

Verba quae sunt . . . *λείπει τὸ ἐτύγχανες* apertum est spectare ad ea, quae servata sunt in codicibus. —

V. 717:

*ἀνειμένον τι χρῆμα πρεσβυτῶν γένος.*

In codd. BCEabcd legitur *πρεσβυτῶν ἔφυ*. Contra verbum *γένος*, quod est in codd. A*BC*, confirmatur Stobaei (fl. 116. 37. III. p. 381) et scholiorum auctoritate (schol. 727: *ὁ δὲ νοῦς, γαληνὸν τὸ τῶν γερόντων γένος*), nec non legitur in Cram. anecd. Oxon. II. p. 427.

De ratione qua natum sit ἔφυ vide infra p. 63 sq. Cf. Andr. v. 181, de quo exposuimus supra p. 42.

V. 765:

*κρεῖσσον δὲ νίκαν μὴ κακόδοξαν ἔχειν —*

G. Herm. antiquum interpretem legisse suspicatur *κρεῖσσον δέ γ' ἦσσαν*, cum dicat: *βέλτιον δικαίως ἡττᾶσθαι ἤπερ θαρροῦντας βασκανίᾳ καὶ δυνάμει παραλύειν τὸ δίκαιον.* Quam suspicionem falsam esse intelligitur e verbis quae Dindorfius e cod. A addidit: *βέλτιον μὴ ἔχειν νίκην μετὰ κακοδοξίας, ἀντὶ τοῦ κτλ.*

V. 797:

*οὕτω μέγ' ἀλγεῖ.*

Quae verba leguntur et in omnibus codicibus et in lemmate schol. 814. Interpretationem autem *μετανοήσασα λυπεῖται* apertum est non spectare ad *μέγ' ἀλγεῖ* sed ad *μεταλγεῖ*. Quod verbum ab Euripide scriptum fuisse jam Nauckius scholium negligens conjecit Stud. Eur. I. p. 118, ubi simili ratione emendandum esse conatur demonstrare Medeae versum 292.

V. 881:

*τί χρῆμα; πρὸς θεῶν ἢ βροτῶν πάσχεις κακά;*

Schol. 896 Dind. quod ad hunc versum pertinet, falso refertur ad v. 876. Ceterum scholiasta legit *κακόν*, quod non recte conjungit cum verbo *χρῆμα*, ut apparet ex eis, quae respondet Hermiona. Nec non haec ipsa Hermionae verba impediunt, quominus recipiamus illud *κακόν*, quod legitur et in scholio et in codd. BEabcd pro *κακά*, quod est in codd. A*BC*. —

V. 909:

*πῶς οὖν τάδ', ὡς εἴποι τις, ἐξημάρτανες;*

Quem versum in omnibus codicibus tributum Oresti restituit Hermionae Lentingius, auctoritatem secutus interpretis, qui versum explicat hisce verbis: *ἀλλ' εἰ ἐρωτήσειέ τις πῶς ταῦτα ἐξημάρτανες, πῶς ἂν διηγήσαι-*

*τό τις*. Quae Lentingii emendatio jure nunc omnibus probata est, licet tenuissima sit et codicum et scholiorum in verbis dialogi distribuendis auctoritas[1]). Nec desunt exempla, quibus satis graves ab antiquis interpretibus hac in re commissos esse errores demonstratur. Cf. scholl. Med. 63. 68 *ὦ γεραιὲ ἀντὶ τοῦ ὦ γεραιά . . .* et *. . . προελθὼν ἥκουσα ἀντὶ τοῦ προελθοῦσα.*

Quae qui scripsit miro sane captus errore verba paedagogi tribuit nutrici. — Cf. schol. Med. 759. —

V. 945:

*εἰ δ' ἐνδιδοίης, ὥσπερ ἐνδίδως, λόγον*

Scholii 965 parte priore confirmatur verbum *λόγον*, quod legitur in omnibus fere codd. (solo in *B* est *λόγους*). Sed quae deinde sequuntur particula *ἄλλως* annexa: *εἰ δὲ καὶ πράγματί μοι θαρσήσειας σαυτὴν, ὥςπερ καὶ λόγοις θαρρεῖς μοι σαυτήν . . .* spectare videntur ad *λόγοις*, quod verbum cum falso intelligeret interpres adductus est, ut ad *ἐνδιδοίης* supplendum esse *πράγματι* putaret[2]). Dativum *λόγοις* scribendum esse jam conjecit Musgravius, quem sequitur Koernerus. Neque vero sententia, quae hoc verbo recepto nascitur: „si sermonibus meis cederes, quemadmodum cedis" (v. Koern.), convenit cum eis quae antecedunt, cum Orestes nequaquam conatus sit, Hermionae de fuga persuadere.

V. 1004—1008.

Verba quae leguntur in schol. 1031 nullam continent lectionis varietatem. Neque enim probanda Koerneri sententia, qui interpretem pro *ἐπεστράφη* aliud quid legisse conjicit, in errorem adductus eo, quod scholium retulit ad poetae verba *θεοῦ νιν κέλευσμ'*

1) Cf. Sauppe. Ep. crit. p. 111. G. Wolff. p. 261. —
2) Cf. supra p. 26.

*ἐπεστράφη*, cum spectet ad verba *ὅτε νιν*, ut intellexit Lentingius. Ad quae verba quia supplendum esse dicit interpres *ἤκουσεν*, patet eum v. 1008. non invenisse verbum quod dicitur finitum (e. gr. *ἔκτανεν*, quod scribi voluit Heathius pro *κτεάνων*.)

V. 1123:

. . . . *ἀντέκλαγξ'. ἐν εὐδίᾳ δέ πως*
*ἔστη.*

Codd. omnes fere *ἀντέκλαγξεν εὐδία.* (*B ἀντέκλαζεν εὐδίᾳ*). Contra schol. 1145: *εὐδία: ἐν γαλήνῃ ἔστη.* Quae interpretatio documento est, scriptum fuisse *ἀντέκλαγξ'. ἐν εὐδίᾳ δέ πως*, quod scribendum esse jam Lentingius conjecit.

V. 1226:

*θεὰ γεγῶσα καὶ θεοῦ πατρὸς τέκος.*

Quem versum e scholiis comperimus in plerisque libris olim non scriptum fuisse. Neque dubito quin jure pro spurio habeatur, cum plane sit supervacaneus. —

Ceterum valde dubia Bartholdi[1]) conjectura, ab eo qui corpus scholiorum, quo nos utimur, congesserit, enotatos esse versus qui „*ἐν ἐνίοις οὐ φέρονται.*“ Nihil enim obstat, quominus eum talia ex parte saltem e libris, quos excussit, transscripsisse putemus. —

Haec fere sunt artis criticae subsidia, quae nobis suppeditant veterum interpretum explicandi rationes in scholiis in Medeam et Andromacham traditae. Quo ex fonte quae manarunt variae lectiones auctoritate longe praestant eis, quae lemmatis continentur aut praefixo signo *γρ.* aperte variae lectiones declarantur, ad quas percensendas jam transeamus.

---

1) De schol. Eurip. fontt. p. 63. —

## 2. De lemmatis.

Barth. l. a. lemmata addita esse conjicit ab eo, qui scholiorum corpus composuerit, quamquam hanc rem satis esse incertam ipse concedit. Si vera est conjectura illa, putandus est auctor incertus omnibus locis autographi verba interpretationibus praescripsisse. Sed quicquid de hac re est judicandum, certum est, librariorum et negligentia et diligentia male adhibita factum esse, ut gravissimis lemmata afficerentur vitiis. Neque tamen de eorum auctoritate non inique judicat Kirchhoffius, qui Praef. Med. p. 42 quicquam eis esse tribuendum negat [1]). Paulo remissiorem se praebet judicem Bartholdus, qui l. a p. 64 plerumque nullam esse dicit eorum auctoritatem. Certius et aequius de lemmatis facere poterimus judicium, si paulo accuratius, qua ratione depravata sint, quaesiverimus.

Atque primum quidem ita corrupta sunt, ut adaptarentur verbis quae in oratione contexta legebantur.

Cf. schol. Med. 1252 (1241 K): *κατείδετε: κατοικτείρατε . . . καὶ προνοήσασθε δι' οὗ τρόπου δυνατὸν αὐτὴν ἐπισχεθῆναι κτέ* — quae interpretatio spectat ad *κατίδετε*, non ad *κατείδετε*.

Schol. Andr. 133. *τὸ κράτος δέ σε πείσει:* quae sequuntur interpretis verba referenda esse ad *τὸ κράτος δέ σ' ἔπεισι*, vidimus supra p. 41.

Schol. Andr. 342. *ἀλλ' εἶσιν οἷ χρή:* quod lemma non quadrare in priorem interpretationis partem supra ostendimus p. 44 sq.

Schol. Andr. 494. *σύγκρατον: συγκεκροτημένον*,

1) De lemmatis scholl. in Soph. v. Dind. Praef. p. IV. G. Wolff. l. a. p. 10. sq. De scholl. in Aeschyl. v. Francken l. a. Praef. p. XV.

quam interpretationem referas ad verbum *σύγκροτον*, quod legitur in codd. EB et fortasse in *C*.

Schol. Andr. 814. *οὕτω μέγ' ἀλγεῖ*: interpretem legisse *μεταλγεῖ*, vidimus supra p. 46. —

Schol. Andr. 1145. *εὐδία*: quamquam verba *ἐν γαλήνῃ ἔστη* spectant ad *ἐν εὐδίᾳ*. Vide supra p. 48.

His locis cum lemmatum vitia orta sint mala sedulitate, aliis tribuenda sunt negligentiae.

Cf. Schol. Med. 222. *χρή σε ξένον μέν*: ex interpretis verbis *προσήκει δέ κτέ* apparet eum legisse *χρὴ δέ κτλ.* —

Schol. Med. 408. *γυναῖκές ἐσμεν*: pro *γυναῖκες εἰς μέν*, quod legit interpres.

Schol. Med. 466. *εἰς ἀνανδρίας*: pro *εἰς ἀνανδρίαν*.

Schol. Med. 864. *τέγξαι χεῖρα φόνῳ*: ubi pro *φόνῳ* legendum esse *φονίαν* probabilis est conjectura Kirchhoffii. —

Schol. Med. 870. *τάσδ' ἐμὰς ὀργὰς φέρειν*: pro *τὰς δ' ἐμὰς κτέ.* —

Schol. Andr. 472. *οὐδὲ γὰρ ἐν πόλει*: lege *οὐδὲ . . . πόλεσι*.

Negligentiae id quoque tribuendum est, quod sat multis locis falsa lemmata apposita sunt, quippe ad quae scholia omnino non pertineant. [1])

Cf. Schol. Med. 598. *λυπρὸς εὐδαίμων*: . . . *μέμφεται οὖν αὐτῆς τὴν εὐχήν. εἰ θέλεις, φησὶ, σοφωτέρα φανῆναι κτέ.* Spectat haec interpretatio ad ea verba quae schol. 600 iterum explicantur, recto praeposito lemmate *οἶσθ' ὡς μετεύξῃ*.

Schol. Andr. 166. *ἐκ χρυσηλάτων*: *πλουσίων, παρρησιαστικῶν κτλ.*, quam interpretationem patet spec-

1) Cf. Pauli, De scholl. Laur. p. 25. G. Wolff. l. a. p. 10.

tare non ad *ἐκ χρυσηλάτων τευχέων*, sed ad *ὀλβίων φρονημάτων*, quae verba eidem interpretationi praescripta sunt schol. 164.

Schol. Andr. 400. *οἰκτρῶς*: *δούλη γενομένη*, quod referendum est ad verba *αὐτὴ δὲ δούλη . . . ἔβην*.

Schol. Andr. 513. *ὤμοι μοι, τί πάθω*: *κατ' ἐρώτησιν*. Verbis quae adduntur, *ἀπέλθετε εἰς Ἅιδου* explicantur verba *ἴθ' ὑποχθόνιοι* (v. 505.).

Schol. Andr. 837. *κατὰ μὲν οὖν στέγω*: *ἡ ἐπανάληψις τὸ πάθος αὔξει τοῦ πένθους*, quae interpretatio spectat ad verba *ἃ κατάρατος ἐγώ*, *κατάρατος ἀνθρώποις*. —

In hac ipsa vero negligentia positum est, quod jure aliquid auctoritatis lemmatis tribuitur. Factum est enim negligentia, ut haud ita raro non accommodarentur ad codicum scripturam depravatam, sed ex antiquioribus libris ad literam transscriberentur. Qua ratione compluribus locis lemmata integra servata esse, intelligitur ex eo, quod saepius congruunt cum scholiis, discrepant ab orationis contextae verbis quae leguntur aut in omnibus codicibus aut in eis, in quibus scholia nunc margini ascripta sunt.

Cf. schol. Med. 910, cui lemma praepositum est *παρεμπολῶντι*. Quod verbum, licet nullo in codice legatur, ante oculos habuisse interpretem declarant ejus verba: *οἷον ἄλλοις γάμοις χρωμένῳ παρὰ τοὺς ὑπάρχοντας*. Cave igitur, ne lemmatum auctoritatem putes imminui eo, quod hoc quidem loco quin falsa sit lemmatis lectio, nemini potest esse dubium. Interpretis enim verba demonstrant, lectionem illam revera olim exstitisse. —

Schol. Andr. 351 cod. A *βούλοι' ἄν εὑρεῖν*, cum in eodem codice inter poetae verba legatur *βούλοιμ' ἄν*. —

Schol. Andr. 360. *προστιθεῖσ' ἀπαιδίαν:* codd. Aa., in quibus in ipsa oratione legitur *ἀβουλίαν*. Cf. p. 10. —

Schol. Andr. 772: *κηρυσσομένοισι:* cum in omnibus codicibus legatur *κηρυσσομένων*, praeter cod. E in quo est *κηρυσσομένοις*. Confirmat igitur lemma conjecturam L. Dindorfii, qui *κηρυσσομένοισι* scribi voluit. —

Schol. Andr. 1133. *μεσάγκυλ';* cod. B, qui inter poetae verba exhibet falsam lectionem *μεσάγκυλοι*.

Plerumque autem interpretationes ita sunt comparatae, ut utrum consentiant cum lemmatis necne, non possit discerni.

Schol. Andr. 240 in codd. ABa praefixum est lemma *οὐκ αὖ σιωπῇ*, quamquam inter poetae verba in codd. Ba legitur *οὐκ ἄν*, quod falsum est.

Schol. Andr. 521. *λείπειν ἐχθρῶν:* codd. Aa, in quibus in oratione contexta legitur *λιπεῖν*, quod falsum est. (v. 510 K.)

Schol. Andr. 935 (915 K) in codd. BA lemma praepositum est *βλέπουσ'*, cum in eorundem codicum textu, qui dicitur, perperam scriptum sit *βλέπουσαν*. —

Schol. Andr. 1136. in cod. A praescriptum est lemma *βέλεμνα παιδός*. In eodem codice in oratione contexta exstat falsa lectio *ποδός*. —

Schol. Andr. 492 quod praepositum est lemma: *ἔτι σοι*, legitur in editione quoque Aldina. Kirchh. hoc dicit non videri esse in *B* neque in alio adhuc libro inventum esse. E lemmate apparet, revera hanc lectionem olim exstitisse, licet falsa sit. —

Sola fere lemmata veram scripturam servaverunt hisce locis:

Schol. Andr. 383 quae praefixa sunt verba: *δυοῖν δ' ἀνάγκη*, constat revera esse Euripidea, quae in codicibus mirum in modum corrupta sunt: A *ἀνάγκαιν ἢ*

*θατέρωι*, B *ἀνάγκαιν ἦ θατέρῳ*, CE *ἀνάγκαιν ἢ θαιέρῳ*, a c corr. *ἀναγκαῖον θάτερον*, b *ἀνάγκα ἢ θατέρῳ*, c *ἀνάγκαιν ἢ θατέρῳ*, d *ἀναγκαῖον ἢ θάτερον*, *B ἀνάγκιν* (- *η* e corr. m. sec.) *θατέρῳ*. Ex qua lectionum varietate Kirchh. recte colligit, in archetypo scriptum fuisse *ἀνάγκαιν*. Genuina lectio *ἀνάγκη* in lemmate et in cod. *C* exstat.

Lemma scholii Andr. 1037: *Ἑλλάνων ἀγόρους*. Quae verba in codicibus graviter corrupta sunt, cum verbum *ἀγοράς*, quod explicandi causa ad *ἀγόρους* ascriptum erat, in verborum ordinem reciperetur [1]): A *ἀγορὰσ ἀχόρουσ*, B *ἀχόρους* (ante quod *ἀγορὰς* add. m. sec.), C *ἀγοραὶ ἀχόρους*, E *ἀγορὰς*, b *ἀγοραὶ ἀχόρους*, cd*CB* *ἀγοραὶ ἀγόρους*. (v. 1010 K).

Schol. Med. 1216 (v. 1205 K) recta forma quae est *ἀντελάζυτ'* in lemmate et in cod. *C* servata est, cum in ceteris legatur *ἀντελάζετ'*.

Lemma schol. Andr. 1046 (1018 K): *σταλάσσων τὸν Ἅιδα φόνον*. Articulum, qui nullo in codice invenitur, ad metrum restituendum inseruit Matthiaeus, quem secuti sunt Herm., Nauckius, Pflugkius, Dind.

Lemma schol. Andr. 1130 *κἀφυλάσσετ'*, quod e conjectura pro *καὶ φυλάσσει'*, quod est in codicibus, restituit Reiskius. —

Qui loci maxime apti sunt, quibus augeatur lemmatum auctoritas, tenuior illa quidem quam earum, quae ex interpretationibus eruuntur, lectionum, neque vero jure pro nihilo habita; modo id semper quaeratur, utrum negligentia vel adaptandi studio nasci potuerit varia lectio necne. Quod cum ita sit, probandum est Porsoni, Nauckii [2]), Weilii, Baueri judicium de lemmatis

1) Scripturae diversitatem ortam esse ita, ut quod semel scribendum esset, bis scriberetur, vix quisquam Pflugkio concedet. —

2) Neue Jahrb. für Philol. u. Päd., 69. p. 625. —

scholl. Med. 218, in quibus pro *ἔνεστ' ἐν*, quod legitur in codd., bis positum est *ἔνεστιν*, quod consensu omnium codicum commoti rejiciendum esse judicant Elmslejus, Kirchhoffius, Klotzius, Dindorfius. —

Particulae cum negligentia omittantur potius quam inserantur [1]), injuria negligitur ab hominibus doctis varia lectio, quae continetur lemmate schol. Med. 823. *εἴπερ φρονεῖς γ' εὖ δεσπόταις*. Particulam *γέ*, quae nullo in codice invenitur neque cuiquam nunc probata est, recte receperunt Porsonus et Elmslejus, qui exemplis allatis hanc dicendi rationem confirmant. Cf. Soph. Aj. 84: *πῶς, εἴπερ ὀφθαλμοῖς γε τοῖς αὐτοῖς ὁρᾷς;* — Iph. Taur. 1174.

Lemma schol. Andr. 1184: *οὗτός γ' ἄν*. In optimis codd. cum legatur *οὗτός τ' ἄν*, Porsonus Praef. Hecub. p. 33. scripsit *οὗτός γ' ἄν*. Cui conjecturae e lemmate nulla potest conciliari auctoritas, primum quia literas *γ* et *τ* saepissime inter se mutatas esse constat [2]), tum quia hic particula *γέ* locum non habet, cum verbum *οὗτος* aperte oppositum sit eis quae sequuntur: *τὸ σὸν δ' ἦν κτέ.* — (G. Herm. *οὕτως γ'.*).

Lemma schol. Med. 1333: *τὸν σὸν δ' ἀλάστορ' εἰς ἔμ' ἔσκηψαν θεοί.*

Particula *δέ*, quae legitur in lemmate et in cod. *B*, inserta metrum restituitur, non restituuntur poetae verba, id quod mihi quidem persuasit Nauckius l. a. I. p. 137. Summam prae se fert speciem veritatis conjectura Weilii, *τῶν σῶν σ' ἀλάστορ' κτέ.* (Kirchh. *τοῖόν σ' ἀλάστορ'*, Nauckius *τοιόνδ' ἀλάστορ'*). Quamquam lectionem *τὸν σὸν δ'* revera olim exstitisse, satis certo e lemmate colligitur.

1) Cf. lemma schol. Andr. 1129. *πυκνῇ νιφάδι*, ubi *δέ* intercidit. —

2) Cf. Nauck. Stud. Eurip. I., p. 118.

Supra vidimus lemmata haud raro vitiata esse, cum adaptarentur eis verbis, quae in ipsa oratione contexta legerentur. Nonnunquam contrario modo ea esse corrupta, cum accommodarentur ad ea verba, a quibus ipsa scholia incipiant, e duobus mihi videtur locis apparere:

Schol. Med. 636. *μηδέποτ', ὦ δέσποινα: τὸ ἑξῆς, μηδέποτε, ὦ δέσποινα, κτέ.* — In codicibus legitur *μήποτ', ὦ δέσποιν'*, quae scriptura sine dubio vera est.

Schol. Andr. 209. *σὺ δ' ἄν τι κνισθῇς: σὺ δ' ἄν τι λυπηθῇς.* In omnibus codd. *σὺ δ' ἤν τι κνισθῇς.* —

Ex his omnibus, quae de lemmatis exposuimus, apparet, multas quidem habere eorum in re critica factitanda usum cautiones, neque vero jure prorsus rejici. —

Restat, ut animo perlustremus tertium genus variarum lectionum, quas nobis scholia suppeditant, eas dico, quae aperte variae lectiones declarantur.

## 3. De variis lectionibus aperte in scholiis commemoratis.

Haud paucae in scholiis afferuntur variae lectiones apposita nota *γρ.* (*γρ. καί*), vel plenius ascripto *γράφεται, γράφεται καὶ, ἐὰν δὲ γράφηται.* Quas lectiones ex parte sine dubio addidit auctor incertus [1]), sive ex commentariis, quos excussit, petitas sive inventas ab ipso compluribus libris collatis, partim vero ascripserunt posterioris aetatis librarii [2]).

1) Cf. Barth. p. 63.

2) Hoc ex fonte manarunt multae lectiones in cod. a (Paris. 2713) allatae. —

De magna quidem parte harum lectionum valet severum Lobeckii judicium, quod facit ad Soph. Aj. v. 57, neque tamen omnes uno ordine sunt habendae, cum, ut diversam singulae habent originem, ita inter se differant auctoritate.

Ac primum magna lectionum copia profecta est e conjecturis sive Alexandrinorum sive posteriorum grammaticorum librariorumve; quae lectiones, ut Lobeckii verbis utar, plerumque eis sunt similes, quas critici male seduli fabricari solent nullo corruptae scripturae indicio, sed sola mutationis facilitate allecti. Quo in numero quamquam satis multae sunt habendae lectiones in scholiis allatae, tamen improbanda est opinio Kornii, qui longe plurimas conjecturis deberi sibi dicit esse persuasissimum [1]).

E scholiis in Medeam et Andromacham jure huc referas has fere:

Med. v. 25: *τὸν πάντα συντήκουσα δακρύοις χρόνον.* Schol. *συντήκουσα: γρ. καὶ συντείνουσα.* Idem ascriptum est in cod. c. Kirchh. Med. (a. 1852) p. 92 recte hanc lectionem esse putat conjecturam librarii verba *συντήκειν χρόνον* non intelligentis.

Med. 497. *δοκοῦσα μὲν τί πρός γε σοῦ πράξειν καλῶς.* Libri *μέν τι.* Quod cum non intelligeretur, natum est e conjectura quod in schol. cod. a affertur: *μήτι.* Elmslejus qui scripsit *μὲν τί,* locum restituit.

Med. v. 703:

*λόγῳ μὲν οὐχί, καρτερεῖν δὲ βούλεται.*

Schol. 708. cod. a. *γρ. καρδία δὲ βούλεται.* Quae lectio speciem prae se fert conjecturae, qua quis restituere conatus est locum sane difficiliorem, qui recentio-

---

1) De publ. Aesch. Soph. Eurip. fabul. exemplari Lycurgo auctore confecto p. 16.

rum quoque hominum doctorum animos mirum quantum exercuit [1]).

Equidem facere non possum, quin consentiam cum Elmslejo et Weilio, qui nihil esse mutandum judicant. Sententia haec est: verbis quidem non concedit, vult tamen tolerare (calamitatem mihi illatam). Quam acerbissime castigat Medea Jasonis simulationem verbo *καρτερεῖν* ita usurpato, ut contrarium dicat quam quod intelligi vult, respiciens ea, quae ipse dixerat v. 452 sqq. 460 sq.

Med. v. 793:

*ἴτω· τί μοι ζῆν κέρδος; οὔτε μοι πατρὶς*

Schol. 798: *γρ. δὲ καὶ οὔτε μοι πατήρ.* Originem videtur accepisse haec lectio a conjectura hominis critici „facilitate mutationis allecti". Non recte Weilius, qui Hirzelium secutus jure in his verbis offendit, cum qua re commota de sua morte cogitet Medea parum perspiciatur, hoc *πατήρ* putat esse vestigium verae scripturae: *ἴτω· τί τοι ζῆν κέρδος, οἵσιν οὐ πατὴρ, οὐκ οἰκός ἐστιν, οὐκ ἀποστροφὴ κακῶν.* Nam ut praetermittam deminui hujus conjecturae auctoritatem eo, quod nimis recedunt verba a codicum vestigiis, nasceretur recepto verbo *πατήρ* sententia, quae in hunc locum non quadrat, quoniam in eis, quae proxime sequuntur (v. 812), Medea ipsa testatur, quanto erga filios amore Jason affectus sit. —

Med. v. 1035: *χαιρέτω βουλεύματα.* Schol. 1048: *γράφεται δὲ καὶ παύομαι βουλευμάτων.* — Quae lectio utrum profecta sit ex verbis interpretandi causa ascriptis an e conjectura, non potest dijudicari. Quamquam

1) Schoenius ad h. l. conjicit, scribendum esse *τἄρ' ἐᾶν*, vel *κάρτ' ἐᾶν*. Heimsoeth, Kritische Studien zu den griech. Tragikern, I. p. 225: *καρδίᾳ δὲ καρτερεῖ*. Bauerus l. a. p. 18. *καὶ μένειν με βούλεται.* — Cf. supra p. 25.

veri non est dissimile, eam excogitatam esse ad removendam verborum *χαιρέτω βουλεύματα* (vv. 1031. 1035) repetitionem, quae quam apta sit summae animi commotioni, qua detestatur Medea necem filiorum, nunc quidem nemo non intelligit. —

Med. v. 1201: *ἐξαναστῆσαι δέμας.* Schol. 1212 a. *δέμας: γρ. πόδα ἢ γόνυ.* —

Quod qui ascripsit fortasse offendit in repetito verbo *δέμας* (v. 1195, 1201), id quod inde concludas,

*γρ. δέμας*

quod v. 1204 in eodem codice legitur *γόνυ.* —

Andr. v. 58. Codd. *τὸν σόν.* Schol. *γρ. τὸ σόν.* Quam lectionis varietatem natam esse conjicias, quia perperam pronomen possess, quod est *σόν* referretur ad *τοὔνομα*, cum spectet ad *οἶκον.* —

Andr. 89. *ἐπεί τοι κοὐ περίβλεπτος βίος δούλης γυναικός.* — Schol.: *κατ' ἐνίους δὲ γράφεται καὶ χωρὶς τοῦ οὐ „καὶ περίβλεπτος", ὥστε ἐν εἰρωνείᾳ τοὐναντίον λέγεσθαι.* Ironiam vero ab hoc loco prorsus alienam esse patet.

V. 501: *κείσῃ δή, τέκνον κτλ.* Libri *κεῖσ' ἤδη.* Schol. 510. cod. a. *γρ. κεῖσο δή.* Schol. A *κεῖσ' ἤδη: διχῶς δύναται νοεῖσθαι, κεῖσο δή καὶ κεῖσ' ἤδη.* —

Imperativus quin ab hoc loco abhorreat non potest esse dubium; scribendum est *κείσῃ δή* vel *κείσει δή.* Lectionis varietas ita nata est, ut, cum scriptum esset *κεισηδη*, literis falso distinctis scriberetur *κεῖσ' ἤδη.* Jam conjicias aliquem hoc plenius scripsisse *κεῖσο ἤδη*, quod deinde, quia cum metro non convenit, mutatum est in *κεῖσο δή.* —

V. 555: *ἦν σὺ θαυμαστὴν σέβεις.* Schol. 566. cod. B *γρ. ἄγεις, ἀντὶ τοῦ θαυμαστὴν ἡγῇ, τουτέστι θαυμάζων διατελεῖς, μακαρίζων ἐπ' αὐτῇ σεαυτάν.*

Quam lectionem manifestum est excogitatam esse, ut faciliorem haberet explicationem accusativus *θαυμαστήν*. Ex hoc scholio apparet, unde ortum sit illud *γρ. ἄγειν* (l. *ἄγεις*?), quod in v. 556 in cod. A ascriptum est ad *ἄγουσ'*, quod legitur in omnibus codicibus. Retulit enim librarius lectionem ad *σέβεις* ascriptam falso ad verbum *ἄγουσι*, quod proxime sequitur. Quod cum ita sit, patet in errorem incidisse Kirchhoffium, qui *ἄγειν* genuinam esse scripturam ratus *ἄγουσ'* autem a correctore profectum, unum versum intercidisse statuit.

V. 593: *τὸν σὸν λιποῦσα φίλιον*. Schol. 603 cod. a: *γρ. τὸ σόν*, quod legitur in cod. C. Quam lectionem e conjectura profectam esse, intelligitur e schol. A: *τὸ Χ ὅτι τὸν φίλιον εἶπεν*. Offenderunt igitur in genere masculino, quod cum recte explicetur in schol. A: *λείπει τὸ Δία*, falso illustratur in schol. cod. B, ubi supplendum esse *οἶκον* indicatur. —

V. 655. *στήσεις τυράννους*. Schol. 665. a. *γρ. θήσεις*, quod ortum est aut e conjectura otiosa aut e versu quodam exempli causa apposito. Cf. infra p. 63.

V. 880:

*ὦ Φοῖβ' ἀκέστορ, πημάτων δοίης λύσιν.*

ABC *ἀκέστορ*, ceteri *ἀκέστωρ*.

Schol. 900. cod. A. *γρ. καὶ ἀκέστων, ἀντὶ τοῦ ἀθεραπεύτων ἀνθρώποις, θεραπευτῶν δὲ μόνοις θεοῖς κιέ.*

Quam lectionem qui excogitavit (nisi forte e mendo scripturae verbum ortum est), finxit verbum *ἄκεστος* „insanabilis“ cujus nullum usquam invenitur vestigium. Apud Hesychium quod legitur *ἀκέται*: *ἐπίατοι, ἀκατάλλακτοι* recte nunc mutatum est in *ἀκεσταί*: *εὐίατοι, εὐκατάλλακτοι*. —

V. 936: *γυναικείας νόσους*. Schol. 956. a. *νόσους. γρ. φύσεις*, quod Koernerus recte refellit, cum „non de feminarum natura in universum sermo sit, sed de

pravis earum moribus, quos Hermione antea extulisse dicitur."

V. 1195:

*ὦ κατ' ἄντρα νύχια Νηρέως κόρη.*

Schol. 1224. a. *γρ βύθια, τουτέστι βαθέα.* Quod qui conjecit jure quidem offendit in verbo quod est *νύχια*, quia non intelligitur, cur Thetis in nocturnis antris versari dicatur, neque tamen ipse reperit veram scripturam, quae est *μύχια*, ab Hermanno inventa. Cf. Hel. v. 425: *ἐν ἄντρου μυχοῖς.* Aesch. Pers. 874. *μυχία Προποντίς.* —

V. 1200. *λευκὴν αἰθέρα.* Schol. 1228: *γράφεται λευκὸν αἰθέρα. Ὅμηρος „αἰθέρος ἐκ δίης".* —

Apud Homerum *αἰθήρ* semper est generis feminini, apud Aesch. et Sophoclem masculini (sed Oed. R. v. 866. *οὐρανίαν δι' αἰθέρα*). Apud Euripidem sex locis genus femininum invenitur: Electra 991, Alc. 606, Jon. 1448, Andr. 114 Dind., Frgm. (inc.) 968 Dind. (Cf. Wüstem. ad Alc. 605.), eoque loco, de quo agimus. Scholii enim auctoritas nemini persuadebit, ut codicum scripturam esse mutandam putet. Ceterum e schol. Alc. 756 conjicias, hoc loco ascriptam fuisse notam criticam. Cf. Schrader, de not. crit. p. 21. —

Deinde haud raro factum est, ut verba interpretandi causa sive in margine sive inter versus ascripta pro variis lectionibus haberentur [1]). Quo genere lectionum Bernhardius in eum adductus est errorem, ut illud *γρ.* nonnumquam explicantis esse nec plus valere putaret quam *ἀντὶ τοῦ* vel *ἤγουν* [2]). Quam opinionem, probatam illam quidem Lobeckio ad Aj. v. 616. et

---

1) Cf. Wunder. De scholl. in Soph. tr. auct. pp. 5. 14. 30. Francken l. a. Praef. p. XVI. Pauli l. a. pp. 9. 31.

2) Bernh. in Eratosth. p. 219. ad Dion. Perieg. p. 542.

O. Schneidero, De vet. in Aristoph. scholl. fontibus p. 105, jure refellit G. Wolff. l. a. p. 207. Hoc ex fonte quae manarunt lectiones plerumque ita comparatae sunt, ut idem fere significent atque lectiones quae exstant in codicibus. Imprimis autem hanc redolent originem eae, quae metri legibus non respondent, ut schol. Andr. 880. *δωμάτων πορεύεται: γράφε διαπορεύεται πρὸ δωμάτων.* Schol. Med. 785. *τήνδε μὴ φεύγειν χθόνα: γράφεται δῆθεν μὴ φεύγειν χθόνα.* Quae lectio cum metro non convenit, nisi scribatur *δῆθε*, quae forma legitur Eur. Electr. 267. Auctor hujus lectionis, sive nata est ex interpretamento sive e conjectura, efferre voluit Medeae simulationem, id quod minime necessarium est, cum ex tota oratione, quid Medeae in animo sit, luce clarius appareat. Ceterum totus versus, qui conflatus est ex vv. 937. 927 jure pro spurio habetur.

Praeterea in hunc lectionum numerum referas has fere:

Med. v. 1151:

*ἄψυχον εἰκὼ προσγελῶσα σώματος.*

Schol. 1162: *γράφεται προσβλέπουσα σώματος* — quod interpretis esse Kirchh. (Proll. Med. p. 34.) intellexit. —

Med. 1346:

*ἄτιμον τῆσδέ μ᾽ ἐκβαλεῖν χθονός.*

*γρ. ἀνατεί*

B *ἀτίμως*, bcd. *ἄτιμον*, ceteri ut videtur *ἀνατεί*.

Schol. 1357: *ἢ γράφεται καὶ ἀνατί, ἤτοι ἀτιμωρητὶ καὶ ἄνευ ἄτης.*

Recte Kirchh. *ἄτιμον* recepit, cum ceteri fere omnes, Schoenius, Nauckius, Klotzius, Dindorfius *ἀνατί* scripserint Nam prorsus veri est dissimile, aliquem *ἀνατί* interpretatum esse verbo *ἄτιμον*, quod quomodo

intelligendum sit ex toto demum sententiarum nexu cernitur, cum verbo *ἀνατί* una certa subsit notio. Accedit, quod *ἄτιμον* eo magis egebat explicatione, quia haud saepe ita usurpatur, ut idem fere valeat atque *ἀτιμώρητος*. Cf. Aesch. Agam. 1279. Valck ad. Hipp. v. 1416.

Andr. v. 133: *τὸ κράτος δέ σ' ἔπεισι* A *τὸ κράτος* B *τὸ κρατοῦν* (cum v. l. *τὸ κράτος* a m. sec.). [C]E *τὸ κρατοῦν*, abcd*B* *τὸ κράτος*, *C τὸ κρατοῦν*. Schol.: *τινές γράφουσι, τὸ κρατοῦν δέ σε πείσει.*

Supra p. 41. jam vidimus *σὲ πείσει* falsum esse. Verbum autem quod est *κρατοῦν* et codicum auctoritate aeque confirmatur atque *κράτος* neque per se est improbandum. Cf. Hippol. v. 248: *τὸ μαινόμενον*, ubi vide quae annotat Weilius. Hec. v. 297: *τῷ θυμουμένῳ*. Orest. v. 200: *τῷ παρειμένῳ*. Soph. Phil. 675. Cf. Classen. ad. Thuk. I. 36. 1. Neque tamen haec lectio non videtur esse rejicienda, primum quia scholium in quo affertur, spectat ad depravatam scripturam (*πεισάτωσάν σε οἱ δεσπόται*), tum quia *τὸ κρατοῦν* videtur esse interpretis, qui *τὸ κράτος* referendum esse ad homines potentes (*οἱ δεσπόται* schol. v. 6. 8.) indicare voluit. —

Andr. v. 286 sq.:

*ἔβαν δὲ Πριαμίδαν ὑπερ —*
*βολαῖς λόγων δυσφρόνων*
*παραβαλλόμεναι. —*

Schol. AB: *τινὲς γράφουσι δυσφόρων — κτλ.* Eadem lectio invenitur in lemmate schol. 288 codd. Aa: *δυσφόρων: βλαπτικῶν.* Ascriptum fortasse illud *δυσφόρων* ad explicandum verbum *δυσφρόνων* ab interprete, qui *παραβάλλεσθαι* hoc loco significare voluit „rixari, decertare“. Cf. schol. 289: *παραβαλλόμεναι: . . . . ἀντὶ τοῦ ἐρεθίζουσαι.* Quamquam certi quicquam de hoc loco

sane difficillimo non audeo statuere. Herm. scribendum esse conjecit δ' εὐφρόνων. —

His, quas percensuimus, lectionibus similes sunt eae, quae profectae sunt ex ascriptis exemplis. Cf. Lobeck. ad. Aj. v. 57. G. Wolff. l. a. p. 212 Pauli l. a. p. 33. Quo in numero habenda fortasse ea, quae affertur schol. Med. 1405: Ζεῦ, τάδ' ἀκούεις: γρ. ἰὼ γρ. ὁρᾷς Ζεῦ, τάδ' ἀκούεις. In cod. B legitur ἀκούεις, in codd. bc ὁρᾷς, in ceteris ἀκούεις. Qua ex lectionum varietate patet, summa cum probabilitate Kirchh. Praef. Med. p. 22. 23. conjecisse, verba scholii mutanda esse in: γρ. ὦ Ζεῦ, τάδ' ὁρᾷς, quam lectionem ortam esse ex ascripto Hippol. v. 1354 Ζεῦ Ζεῦ, τάδ' ὁρᾷς jam Elmslejus suspicatus est [1]).

Hae omnes quas attulimus lectiones nullius sunt pretii, utpote quas ad codices non redire pateat. Exstant autem haud ita paucae, quae quin ad codices sint referendae, non potest dubitari. Quo in numero reponas hasce:

Med. v. 108: νέφος . . . . ἀνάψει. Schol. ἐὰν δὲ γράφηται ἀνάξει, οἷον ἐπιπολὺ ἀνάξει τὰ τῆς ὀργῆς κτέ. Quam lectionem, etiamsi non prorsus recta sit, quam proxime tamen accedere ad veram scripturam, primus Elmslejus perspexit. Vide supra p. 17. —

Med. v. 484: πάντα δ' ἐξεῖλον φόβον.

B[CE][bcd] φόβον *BC* δόμον a φόβον mrg. δόμον. — Schol. 487: πάντα δ' ἐξεῖλον: ἀντὶ τοῦ ἐπόρθησα. ἐὰν δὲ φόβον γράφηται, ἐξεῖλον ἀντὶ τοῦ διέφθειρα καὶ ἠφάνισα. — Prior scholii pars spectat ad δόμον, quod falsum est, quoniam nihil attinet Medeam praedicare, quantis malis affecerit Peliae

1) Eadem ratione Andr .versus 181 et 717 corruptos esse conjicit Nauckius Stud. Eurip. II. p. 94. Cf. Phoen. v. 198.

domum, sed Jasonem quantis ornaverit beneficiis. — Accedit quod ne verum quidem diceret, si totam se evertisse Peliae domum asseveraret. Quae cum ita sint, *δόμον* apparet esse natam e conjectura, quam factam esse conjicias ab homine critico, qui haec verba spectare ad Jasonem non intelligeret. Quod legitur in eodem codice, in quo genuina lectio affertur (cod. a): *γρ. δόμον*, videtur esse librarii. —

Med. v. 534 sq.:

*καὶ δίκην ἐπίστασαι*
*νόμοις τε χρῆσθαι μὴ πρὸς ἰσχύος χάριν.*

Quibus in verbis interpretandis homines docti in diversissimas partes abierunt. Elmsl. suppleri vult *ζῆν, διάγειν* aut tale quid. Pflugkius comma post verbum *χρῆσθαι* delevit eumque secuti sunt Kirchhoffius, Nauckius, Klotzius, Weilius, Bauerus. Klotzius verborum sententiam hanc esse dicit: „legibus ita uti, ut non ad vim ac lubidinem eis abutare.“ At non hoc barbarorum est proprium, ut legibus abutantur, sed ut eas negligant. Cf. Or. 480 sq. — Schoenius suppleri vult *τεθειμένοις* (*ὑπὸ σεαυτῆς*), Bauerus l. a. p. 16 *κειμένοις* vel *οὖσι*, quae dicendi ratio exemplis allatis erat comprobanda. —

Omnes difficultates tolluntur recepta lectione quae nobis suppeditatur scholio 538: *τὸ χάριν γράφεται θράσει* — probata illa quidem Hartungo, sed a ceteris omnibus rejecta. Qua scriptura reposita comma post *χρῆσθαι* servandum est, ut sibi opponantur *νόμοις* et *πρὸς ἰσχύος θράσει:* legibus uti, non fiducia opum. Nec profecto latet, quo modo factum sit, ut verbum *θράσει* ejiceretur. Comperimus enim e schol. Med. 469 veteres grammaticos *θάρσος* et *θράσος* putasse ita inter se differre, ut alterum in bonam, alterum in malam partem accipiendum esset. Quod discrimen si revera

inter utrumque verbum intercederet, illud *θράσει* parum aptum esset, cum Jason minaretur potius Medeae quam emolumenta legum et institutorum Graecorum praedicaret. At falsam esse illam veterum opinionem intelligitur et ex eo ipso, ad quem scholium illud spectat, loco et e multis aliis. Cf. Soph. Phil. 104. Eur. Suppl. 610. Monk. ad Alc. 620 (v. 615 K). — Hoc loco *θράσος* nihil est nisi „fiducia“. Dicit igitur Jason: didicisti legibus uti, non fiducia opum (cum apud barbaros, ut quisque opibus fidit, ita se gerat) —

Med. v 582: *ἓν γὰρ ἐκτενεῖ σ' ἔπος.* B *ἓν γὰρ κτενεῖ σ' ἔπος*, *CCEd ἓν γὰρ ἐκτενεῖ σ' ἔπος*, a *ἓν γάρ σ' ἐκτενεῖ ἔπος*, bc *ἓν γὰρ ἂν κτενεῖ σ' ἔπος*, *B ἓν γὰρ οὖν κτενεῖ σ' ἔπος.* — Schol. 585 *γρ. καὶ ἓν γὰρ ἐκτενεῖ σ' ἔπος. ἐκτενεῖ σε ἀντὶ τοῦ καταβαλεῖ κτέ.* Quae lectio confirmatur scholio Hom. ap. Cram. an. Paris. III. p. 225. Eustath. in Il. p. 672., nec non ad eandem spectat prior pars scholii. Orta est lectionum varietas e verbo *ἐκτενεῖ* non intellecto. Cf. Kirchh Med. p. 98.

Med. v. 1257 sqq.:

*χαλεπὰ γὰρ βροτοῖς ὁμογενῆ μιά —*
*σματ' ἐπὶ γαῖαν αὐτοφόνταις σύνοι —*
*δὰ θεόθεν πίτνοντ' ἐπὶ δόμοις ἄχη.*

Pro *σύνοιδα* in codd. BCEad*BC* legitur *συνῳδά*, sed in B suprascriptum est *σύνοιδα*. Schol. 1269 cod. a: *γράφεται δὲ καὶ συνῳδά.* Cum in eis quae antecedunt *συνῳδά* explicatum sit, jure Kirchh scribendum esse judicat *γράφεται δὲ καὶ σύνοιδα.* Difficillimum sane est certum facere judicium de hoc loco, qui tantopere animos hominum doctorum exercuit. Cf. Weil. Nov. Annal. philol. et paed. 95, p. 384, Bauer. p. 27. Heimsoeth. in libro qui inscriptus est „Krit. Studien zu d. griech. Tragikern“ I. p. 378. Schrader, de not. crit. p. 64, qui magna cum veritatis specie pro

*ἐπὶ γαῖαν* scribendum esse conjicit *ἐπεὶ αἰέν . . . . . σύνοιδα.*

Andr. v. 28:

*ἀλκήν τιν' εὑρεῖν κἀπικούρησιν κακῶν.*

Schol. *δόμων: γρ. κακῶν.* Quae lectio omnium fere codicum auctoritate confirmata sine dubio genuina est, cum domus cura ad Andromacham servam nihil pertineat. Cf. G. Herm. ad h. l.

Andr. v. 53:

*ᾔτησε Φοῖβον πατρὸς οὗ 'κτίνει[ν]δίκην.*

ABC *οὗ κτείνει*, D *οὐ κτείνει*, a *οὗ κτείνει*, bc *οὗ τείνει*, *C οὗ κτείνει.* Lectionem *κτείνει* satis esse antiquam, apparet e veterum interpretum explicatione. v. schol. 51. v. 9. 14. Ad genuinam scripturam propius accedit quod legitur in codd. E*B οὗ τίνει;* d *οὗ 'κτίνει*, cf. schol. codd. AB: *γρ. δὲ οὗ 'κτίνει δίκην, ἵν' ᾖ ὅπου, ἐν Πυθοῖ, τιμωρίαν δίδωσι.* Hoc scholium documento est, Hermannum verba *ὅπου, ἐν Πυθοῖ, τιμωρίαν δίδωσι*, quae eadem leguntur in cod. a et in ed. Arsen. falso retulisse ad *ἔνθα Λοξίᾳ δίκην δίδωσι* (v. 51), cum quin spectent ad verba *οὗ 'κτίνει δίκην* non possit esse dubium. Atque ipsa lectio *'κτίνει* videtur esse nata e verbo *οὗ* non intellecto. Qua in lectione qui offenderunt, quia verbis *οὗ 'κτίνει* repetuntur quae jam antea dicta sunt verbis: *δίκην δίδωσι μανίας*, e conjectura haud ita ingeniosa scripserunt *οὗ 'κτίνει.* Hermannus, qui mutavit *'κτίνει* in *'κτίνειν*, locum restituit.

Andr. v. 251:

*οὕπερ οὕνεκ' ἐστάλην.*

Schol. cod. P. *οὕπερ ἐνθάδ' ἱκάνω: γρ. ἕνεκ' ἐστάλην.* Quae lectio, modo mutetur *ἕνεκ* in *οὕνεκ'*, genuina est, cum quod legitur in lemmate et in codd. BE natum sit ex interpretamento. Eadem lectionis varietas invenitur Med v. 663.

Andr. v. 357: *πίτνοντες.* A *πιτνόντες*, CE *πιτνῶντες*, abcd *πίπτοντες*, *BC πιτνοῦντες.* Schol. B *πίπτοντες: γράψον οὕτω, οὐ βώμιοι πίπτοντες*, quod Dind. mutavit in *γράφεται οὕτως, οὐδὲ βώμιοι πίτνοντες.* Schol. a. *γρ. πίτνοντες*, quam formam recentiores editores ad unum omnes receperunt.

Andr. v. 359: *προστιθεῖσ' ἀβουλίαν.* Schol. a: *ἀβουλίαν: γρ. ἀπαιδίαν*, quam lectionem et lemmate et interpretatione schol. codd. Aa confirmatam, genuinam esse supra vidimus p. 10. —

Andr. v. 626: *κεἰ τρὶς νόθος πέφυκεν.* Pro *κεἰ τρίς* in codd. BCE*B* legitur *κεἴ τις*, ortum e mendo scripturae [1]). Schol. 636. *κεἴ τις: γρ. κεἰ τρίς.* —

Andr. v. 911:

*αἵ μοι λέγουσαι τούσδ' ἐχαύνωσαν λόγους.*

Schol. 931. cod. T *αὐχένωσαν: ἐπτέρωσαν, ἐπῆραν. γράφεται ἐχαύνωσαν*, quae lectio exstat in omnibus fere codicibus (in *B* a pr. m. *αὐχένωσαν*) et confirmatur scholl. ABa, ubi eisdem verbis explicatur quibus *αὐχένωσαν* in cod. T.

Andr. v. 1011: *δυστάνων τεκέων ἄλοχοι.* BCE *τοκέων*, ceteri *τεκέων.* Schol. 1038 in lemmate *τοκέων*, quod postquam explicatum est, additur: *ἐὰν δὲ ᾖ ἡ γραφὴ τευχέων, λύεται* (*τεκέων, λείπει* Cobet.) *τὸ ἕνεκεν, ἄλοχοι δὲ ἀντὶ τοῦ γυναῖκες ἁπλῶς.* —

Lectio *τοκέων*, jure ab editoribus rejecta, nata est, quia genitivus qui pendet a verbo *στοναχάς*, perperam relatus est ad *ἄλοχοι.* —

Hae sunt lectiones in scholl. ad Med. et Androm. aperte commemoratae. Quas lectiones ex eis quae

1) Eandem videntur habere originem lectiones in scholl. allatae hae fere: Schol. Med. 1223: *γνώσῃ γὰρ αὐτή: γρ. γλώσσῃ.* Schol. Andr. 503: *κατὰ γαίας: γρ. κατὰ γαῖαν.* Schol. Andr. 1042: *ἔπεσον: γρ. ἔνεσπον.* T. —

disputavimus apparet non indignas quidem esse, quae accuratius pervestigentur, neque vero multa praebere artis criticae subsidia, cum, quae novae suppeditantur, plerumque sint futiles, quae traduntur bonae, raro non servatae sint in codicibus.

## Vita.

Georgius Hermannus Franssen natus sum a. d. XII. Kal. Jan. anni h. s. XLVIII in vico Suurhusen, haud longe ab Embda urbe sito, patre Sjammo, quem adhuc vivum veneror, matre Gerhardina e gente Brummer, quam ante hos duos fere annos morte mihi ereptam esse valde doleo. —

Fidem profiteor evangelicam. Quattuordecim annos natus adii Gymnasium Embdense, quod floret Schweckendieckio rectore. Auctumno anni h. s. LXVIII studiis operam daturus philologicis me contuli Gottingam, ubi per quattuor annos interfui scholis virorum cll. E. de Leutschio, Lotzii, G. Muelleri, Sauppii, Wachsmuthii, Waitzii, Wieseleri, nec mihi non licuit per tres annos interesse exercitationibus seminarii regii philologici, cujus per ter sex menses fui sodalis ordinarius. Praeterea G. Muelleri benevolentia factum est, ut in societatem theotiscam reciperer. — Hos omnes viros optime de me meritos esse grato animo semper profitebor.

PA
3978
F73

Franssen, Georgius
Quaestionis de scholiorum Euripideorum in poetae verbis restituendis auctoritate et usu specimen

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY